CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS
Vol. 153

SCRIPTORES SYRI
TOMUS 72

SANCTI EPHRAEM SYRI IN GENESIM ET IN EXODUM COMMENTARII

INTERPRETATUS EST

R.-M. TONNEAU

LOUVAIN
IMPRIMERIE ORIENTALISTE
L. DURBECQ
1955



PRAEFATIO

Gloria quae fuit sancto Ephraem Syro ex operibus eius in linguam graecam translatis, et praesertim ex eius liturgicis sermonibus et hymnis [1], sublimavit eum in fabulae personam quae certum fere nihil nobis reliquit : fabula caecavit historiam.

Multum tamen interest theologiae et historiae doctrinarum theologicarum intendere in huius doctoris testimonium et in fidem Ecclesiae Syrae, numero quidem parvae et loco a nobis remotae, sed quae recondit thesaurum traditionum prioris aevi, a tempore quo iudaica traditio dominabatur in Sacram Scripturam; cum textu sacro enim interpretationes eius etiam persaepe acceperunt Syri Orientales

Quae ergo prae ceteris digna sunt studio nostro opera sunt sancti Ephraem Syri commentaria Scripturae Sacrae. Sed ex omnibus quorum Ebediesu Nisibenus mentionem facit sub nomine Ephraem [2], non inveniuntur in lingua originali nisi haec duo nunc edita; quae tamen exemplum praestant utriusque generis commentarii exegetici : pušaqa (exegesis) libri Genesis, et turgama (targum) libri Exodi. Ceterorum operum eius non inveniuntur nisi scholia minima passim dispersa in « catenis exegeticis », inter fragmenta graecae exegesis; sed horum scholiorum ne certus quidem textus evadit. Quod tandem relictum est nobis, remanet in uno libro manuscripto saeculi sexti quorum quaedam folia deperdita sunt in fine [3].

1 Cfr C. Emereau, *S. Éphrem le Syrien, son œuvre littéraire*. Paris, Bonne Presse, 1919.

2 Circa finem saec. xiii, Ebed-Iesu Nisibenus, in *Catalogo scriptorum* (Éditions assyriennes de l'Église d'Orient, Patres syri, nº 4, p. 69, Mosul [Iraq], 1924), sic scribit : « Ephraem Magnus, cui nomen datum est Propheta Syrorum, composuit : Traditionem librorum Genesis et Exodi, Levitici et Iosue bar Nun, Iudicum et Samuel, et libri Regum et (Psalmorum) David, Isaiae et Duodecim (minorum prophetarum), Ieremiae et Ezechielis et Danielis beati; et scripta et epistulas de fide Ecclesiae, etc... ».

3 Cfr Vat. Sir. 110; edit. Romana a Petro Benedicto, tom. I p. 1-115; et p. 194-235. Quae tamen a p. 226 ad 235 editionis romanae inveniuntur unde descripta sunt inveniri non potest; fons eorum non est in ms. Vat. Sir. 110, qui non habebat plura folia post 95, tempore etiam S. S. Assemani (cfr *Bibliothec. Apost. Codd. mss. Catal.*, I, 3, p. 76 s.).

Curam igitur exactiorem adhibuimus in versione huius textus ut manifestaretur, in quantum fieri potest, haec traditio : in verbis eligendis et ordinandis in sententia, quam strictissime secuti sumus textum, hoc tantum salvo, faveat Deus, ut intelligeretur sententia. Traditor enim dicendus est qui rhetorum pompam, sed vel elegantiam styli, adhibet ad humilem sententiam transferendam.

Praeterea, ultimum non minimum, interest etiam nostri in his duobus libris commentariis invenire sententias antiquorum doctorum, quorum non datur nomen, quos citat vel refutat S. Ephraem, a cuius citationibus introducimur in fidem antiquorum Syrorum. Magis igitur tendit ad fidelitatem versio nostra quam ad elegantiam, et ad theologorum utilitatem quam rhetorum; bona venia ergo legatur : si introducit in mentem patrum nostrorum in fide satis videbitur esse.

Le Saulchoir, 2ª Febr. 1954. fr. R.-M. Tonneau, o.p.

COMMENTARIUS QUEM FECIT MAR EPHRAEM IN LIBRUM PRIMUM PENTATEUCHI

[1] Commentarium facere in librum primum Genesis nolebam, ne iterum hic recitaremus ea quae in sermonibus lectionibusque posita sunt a nobis; quia autem coacti sumus a dilectione amicorum, ecce breviter facimus ea quae in sermonibus lectionibusque abundanter fecimus.

[2] Causa autem scriptionis Moysis talis est : quia conscientiae saeculorum priorum manifestus erat Creator, et usque ad dies turris (Babel) etiam creaturae creatae praedicabantur esse; et a (diebus) turris etiam usque ad Moysen non defuerunt qui haec praedicarent inter filios Sem; cum autem erraverunt in Aegypto etiam filii Abram et sine Deo fieri meruerunt cum universo mundo, repudiaveruntque etiam mandata honesta naturae nostrae infixa, et statuerunt naturas quae a nihilo factae sunt esse *Itya* (a-se-existentes), atque creaturis antiquius factis dederunt nomen Dei. Voluit Deus per Moysen ea corrigere quae in saeculo Moysis confusa sunt, ne forte haec mala traditio propagaretur per universum mundum.

[3] Mittit igitur Moysen apud Aegyptios ut, ubi eruperat error, (illic) hebetaret eum radiis verae cognitionis; fecit autem per eum miracula mirabiliaque ne dubitarent de illis quae scripturus erat. Propterea illuminavit eum et (. . . . .) extensus est etiam splendor ut splendor faciei eius manifestaret spiritum loquentem per lin[illegible] eius.

[4] Post miracula sua igitur in Aegypto et in mari ac in deserto. scripsit de naturis quae ex nihilo creatae sunt, ut scirent eas fraude *Itya* (a-se-existentes) vocatas esse; scripsitque de creaturis quae ex nihilo factae sunt * et errore adorabantur velut dii. Scripsit de * p. 4
Deo, qui unus est et cum quo millia myriadesque (sociorum) positi erant. Scripsit de mysteriis Filii delineatis cum creabantur crea-

turae; delineavit typos eius depictos in iustis illo prioribus et (figuras) typice-indicatas per opera baculi eius. Scripsit de mandatis firmis quae oblita erant, addens ea quae futura erant utilia iuvenili aetati populi.

[5] Scripsit igitur de opere sex dierum qui creati sunt per mediatorem qui est creatori connaturalis et eamdem sollertiam habens.

Rursus, ubi dixit : *Hic est liber generationum caeli et terrae*, vertit se ad narrandum ea quae neglexit scribere in priore narratione. Dixit de productione Adamitarum, et de eorum commoratione in paradiso, et de serpentis adventu et de perfidia eius, et de rebellione eorum ad arborem quae interdicta fuerat eis, et de egressu eorum exinde in poenam.

Dixit de oblatione quam obtulerunt domus Cain et Abel et de occisione Abel, et de maledictionibus quae sancitae sunt in Cain extensa narratione septem generationum eorum usque ad verba Lamech, filii Cain, ad uxores suas.

Dixit de decem generationibus quae ab Adam et ad Noe.

Dixit de impietate quam gessit utraque progenies saeculo Noachitarum.

Dixit de constructione arcae et de salvatione (eorum) prae omnibus quae creata sunt.

Postea dixit de egressu eorum ex arca, et de oblatione Noe, et de arcu in nubibus qui datus est ei in foedus pacis.

Postea dixit de vinea quam plantavit Noe, qui inebriatus est dormivitque et detectus est; et de maledictione Chanaan, benedictionibusque fratrum eius.

* p. 5 Postea dixit de septuaginta duobus filiis qui nati sunt filiis * Noe; et de aedificatione turris et linguarum corruptione, et quia dispersi sunt exinde in universam terram.

Postea dixit de decem generationibus aliis a Sem ad Abraham.

Postea dixit de exitu Abrahae ex Ur et de eius habitatione in Harran, et commoratione in terra Chanaan; et de deductione Sarae ad domum pharaonis, et de reductione eius ob plagas quae acciderunt domui pharaonis.

Postea dixit de separatione Lot ab Abraham et de captivitate eius cum Sodomitis, et liberatione eius per Abraham, qui a Melchisedec benedictus est, dans ei decimam partem omnium copiarum quas salvavit.

Postea dixit de fide Abrahae in progeniem suam, et de quaestione eius ut sciret quomodo factura esset soboles eius haeres terrae frequentis habitatoribus, et de oblatione eius foedereque pacis quod hoc ipso die pepigit Deus cum eo.

Postea dixit quia oboedivit Sarae ingressusque est ad Agar, cuius oculis, postquam concepit, despectui fuit domina eius; et probris affecit eam quae fugit; et vidit eam angelus et redire fecit eam ad serviendum dominae eius.

Postea dixit de foedere circumcisionis quod dedit ei (Deus): et (Abraham) circumcidit Ismael et domesticos suos omnes.

Postea dixit de revelatione facta ei sedenti ad ostium tabernaculi, et de adventu angelorum qui venerunt in figura peregrinorum, et quia promiserunt Isaac Sarae, et quia risit in sinu suo.

Postea dixit de profectione eorum in Sodomam, et de intercessione Abrahae pro eis, et de ingressu eorum ad domum Lot, et de congregatione Sodomitarum egressuque Lot et filiarum eius, et de poena quam acceperunt Sodomitae ob impudentiam suam.

Postea dixit de filiabus Lot quae dederunt vinum bibere patri suo, qui dormivit cum eis et nescivit.

* Postea dixit de Abimelech qui Saram duxit, et quod non permisit ei Deus ad eam appropinquare. * p. 6

Postea de nativitate Isaac circumcisioneque eius et ablactatione eius; et de exitu ancillae filiique eius, quia riderat de filio liberae.

Postea dixit de foedere quod fecit Abimelech cum Abraham.

Postea dixit de tentatione Abrahae et de oblatione Isaac in holocaustum et de eius caelesti liberatione; et de ariete in arbore qui factus est ad vicem eius in sacrificium.

Postea dixit de morte Sarae et de eius sepultura in spelunca duplici filiorum Hem [1].

Postea dixit de iureiurando quo obstrinxit Abraham Eliezer; et de illius itinere in Mesopotamiam et de oratione servi ad puteum; et de adventu Rebeccae in domum Abrahae ut fieret uxor Isaac.

Postea dixit de sterilitate Rebeccae, quae orante Isaac concepit; et cui, consulto Domino, dictum est : *Duae gentes in utero tuo, et maior serviet minori.*

Postea dixit de Esau primogenitis venditis Iacob.

1 Sic; lege : Heth.

Postea dixit de foedere quod fecit rex Philistaeorum cum Isaac, sicut fecerat cum Abraham.

Postea dixit quomodo surripuerit Iacob, consilio matris suae, benedictionem Esau.

Postea dixit de descensu Iacob in domum Laban et de visione scalae quam dormiens vidit.

Postea dixit (Iacob) duxisse unam uxorem voluntate sua et inventum esse illum tres alias duxisse haud voluntarie.

Postea dixit de reditu eius in domum patris sui et de accessu Laban irati; et quia Deus impedivit illum a malefaciendo ei; et de illorum foedere pacis in monte Galaad.

* p. 7 * Postea dixit de castris angelorum in quae incidit.

Postea dixit de nuntiis pacis quos misit ad Esau et de oblatione quam misit ante se ad Esau, et de luctatione eius cum angelo qui tetigit coxam eius, quae luxata est; et quia laetatus est Esau frater eius cum eo et accepit eum.

Postea dixit de commoratione eius ad Sichem et de violentia in sororem eorum raptam; et quia fraude destruxerunt (filii Iacob) totum vicum, quod patri eorum displicuit.

Postea dixit de morte Rachel ad Ephratam et de adventu Iacob apud patrem suum et de morte sepulturaque Isaac.

Postea dixit de generationibus Esau et de regibus qui regnaverunt in Edom antequam rex regnaret in domo Israel.

Postea dixit de somniis Ioseph.

Postea dixit de coniugio Thamar et de improvisa morte virorum eius, et quia defraudavit fefellitque Iudam; qui damnavit eam ad ignem ineunte iudicio, et denuo iustificavit eam extulitque eam potiorem se in fine iudicii eius.

Postea dixit de Ioseph misso ad fratres suos et de proiectione eius in cisternam venditioneque eius ad Arabes et descensu eius in Aegyptum, et de fuga eius a domina eius et de casu eius in carcerem; et interpretavit somnia servorum pharaonis et ipsius pharaonis; et de amplitudine quam accepit; et de frumento quod coacervavit per septem annos ubertatis, et de abundanti argento quod congregavit per annos famis.

Postea dixit de adventu fratrum eius ad eum, et quia se abscondit ab eis, eosque anxit et manifestavit se eis et amplexus est eos.

Postea dixit (illos) nuntiavisse Iacob de Ioseph; et de septuaginta animabus descendentibus cum illo in Aegyptum; et de exitu Ioseph in occursum patris sui et quia Iacob introduxit ad pharaonem, * * p. 8 et (Iacob) benedixit pharaoni; et quia statuit (Ioseph) fratres suos in (loco) optimo terrae Aegypti; et quia *emit (Ioseph) omnem terram Aegypti pharaoni,* exceptis terris pontificum.

Postea dixit de aegritudine Iacob et de benedictionibus quibus benedixit filiis Ioseph, et auxit Ephraim minorem prae fratre suo maiore Manasse.

Postea dixit de benedictionibus quibus benedixit Iacob filiis suis; et quia, completis verbis suis, extendit pedes suos in lectulo et collectus est apud populum suum; et quia Ioseph extulit eum et sepelivit eum ubi sepulti sunt Abraham et Isaac.

Postea dixit de morte Ioseph, et quia iurare fecit fratres suos ut ossa ipsius secum eveherent in terram hereditatis suae.

Haec autem omnia scripsit Moyses in libro primo Genesis, et in capite sermonum suorum sic locutus est :

[SECTIO I]

[1] *In principio,* inquit, *creavit Deus iath* (ipsum) *caelum et iath* (ipsam) *terram,* id est substantiam *(qnoma)* caeli et substantiam *(qnoma)* terrae. Nemo autem cogitet esse in operibus sex dierum interpretationem (allegoricam); neque fas est dicere in ictu (oculi) facta esse ea quae per dies facta sunt. Nec etiam (fas est dicere) ea esse nomina vacua; aut res alias per nomina eorum significari nobis. Immo notum sit quod quemadmodum caelum et terra quae creata sunt in principio, in veritate caelum sunt et terra, nec res alia sub nomine caeli et terrae nominata est nobis, ita etiam reliqua opera et formationes posteriores non sunt denominationes vacuae, quia substantiae *(qnoma)* naturarum earum congruunt denominationibus nominum eorum.

[2] *In principio creavit Deus caelum et terram,* inquit. Heic desierunt omnia opera, quia cum caelo et terra nihil aliud creatum est; etenim naturae etiam quae hac ipsa die * creatae sunt, huc * p. 9 usque nondum creatae erant. Si enim cum eis creatae essent, dixisset; non autem dixit ne forte nomina naturarum antiquiora fierent substantiis *(qnoma)* earum. Ecce igitur perspicuum est caelum et terram ex nihilo fuisse, quia hucusque neque aqua neque spiritus

creati sunt, nec etiam ignis lumenque aut tenebrae formatae sunt. Quae enim posteriora sunt caelo et terrae, creaturae sunt, quippe quae post illa sunt, nec entia-a-se *(itya)* fuerunt quippe quae non priores sunt illis.

[3] Post hoc dixit, non de illis quae sunt a firmamento et desuper, sed de illis quae inter firmamentum et terram in gremio sunt. Id enim ipse scripsit nobis, non omnia scribens nobis. De spiritibus enim quonam die creati fuerint non scripsit nobis.

Scribit igitur de *terra*, quia erat *toh-u-boh*, id est inanis et vacua; et hoc ad ostendendum etiam inane et vacuum antiquiora esse naturis. Non quod aliquid dicam esse inane et vacuum, sed ut per hoc non esse, terra, quae erat, cognoscatur sola sine ullo alio fuisse.

[4] Postquam dixit de creatione caeli et terrae, ostenditque inane et vacuum, quantulum sit tempus, antiquiora esse naturis quae creatae sunt post istud tempus, rursus scribit etiam de ipsis naturis sic dicens : *Tenebrae*, inquit, *super faciem abyssi*. Abyssus autem aquarum hac ipsa hora creata est. Quomodo autem creata sit die quo creata fuit, etiamsi hoc die et hoc tempore creata est, tamen non in hoc ipso loco scripsit nobis, neve etiam quomodo creata fuerit. Accipiamus igitur nunc (fuisse) creationem abyssi, sicut scriptum est nobis, sperantes nos disciturος esse ab ipso Moyse etiam quomodo creata fuerit.

* p. 10 * Tenebras autem, quae super faciem abyssi, sunt qui umbram caeli affirmant eas esse. Si autem hoc firmamentum creatum fuisset primo die, recte dicerent. Caeli autem supremi si firmamento similes essent, tenebrae densae essent inter caelum et caelum; non enim lux creata erat illic ac firmata, quae dissipasset radiis suis tenebras illius loci; si autem locus inter caelum et caelum lucidus est, ut testantur Ezechiel et Paulus et Stephanus [1], caeli igitur per lucem suam dissipantes tenebras, quomodo tenebras effudissent super abyssum?

[5] Quia autem quodcumque creatum est, sive scripta sit eius creatio, sive non scripta, in his sex diebus creatum est; etiam nubes eo ipso die primo creatae sunt, sicut creatus est ignis cum spiritu, nec scripsit nobis de igne sicut scripsit de spiritu. Ita creatae sunt nubes cum abysso, etsi non scripsit de nubibus illas creatas esse cum

1 Cfr *Ez.*, I, 22; *Act.*, IX, 3; XXII, 6; VII, 55.

abysso; sicut nec scripsit ignem creatum esse cum spiritu, quando scripsit nobis spiritum creatum esse.

Oportebat enim cuiuscumque rei in sex diebus initium cognosci, et si cum abysso creatae sunt nubes, ipsae quoties ex abysso ipsa natae sunt : nam et Elias [2] nubem e mari ascendentem vidit; rursusque Salomon dixit : *Per scientiam eius eruperunt abyssi et nubes stillaverunt rorem* [3]. Non autem propter seipsas *(qnoma)* tantum necessarium erat ut in hoc loco crearentur; sed etiam propter ministerium primae noctis a se faciendum, prima nocte creatae sunt. Eo enim modo quo extendit (Deus) nubes per Aegyptum tribus diebus et tribus noctibus [4], (ita) extendebantur nubes per totam creationem nocte prima dieque primo. Si enim nubes dissipatae fuissent, non necessarium fuisset luminare primo die, quia sufficiens erat splendor caelorum supremorum ad vicem gerendam luminaris quod primo die creatum est.

* [6] Post completam autem noctem diemque, creatum est firmamentum vespere secundo et servivit exinde et deinceps umbra eius noctibus subsequentibus.

Creati sunt igitur caeli et terra vespere noctis primae et, simul cum abysso creata, creatae sunt nubes illae quibus operientibus generata est nox haud vera. Postquam autem ministraverunt (nubes) umbram suam per duodecim horas, creata est lux infra illas quae fugavit umbram earum per totam noctem super aquam diffusam.

[7] Postquam dixit de tenebris quia diffusae erant *super faciem abyssi*, rursus dixit : *Spiritus Dei incumbebat super faciem aquarum*. Etsi, eo quod vocavit eum spiritum Dei et eo quod dixit illum incubuisse, aliqui Spiritum Sanctum affirmant eum esse et operationis (creativae), ex hoc quod heic scriptum est, participem faciunt eum, tamen ex eis quae verisimilia non sunt affinitatem ei (cum Deo) non asserunt fideles qui, propter solide dicta de eo, naturae illi (divinae) consociant eum; nam ex huiusmodi verbis Spiritum creatorem asserere non possunt.

Dictum est enim : *Spiritus Dei malus affligebat Saul* [5]; et quod dictum est : *Incumbebat*... quidnam factum de aquis, die primo quo super aquas incumbebat (Spiritus)? Si autem eo die, quo scriptum est illum incubuisse super aquas, nihil factum est ex aquis,

2 Cfr 1 *Reg.*, XVIII, 44. 3 *Prov.*, III, 20. 4 Cfr *Ex.*, X, 22. [5 ...] XVI, 14.

die autem quinto quo genuerunt aquae reptilia volatiliaque, Spiritum super aquas incubuisse non scriptum est, quisnam dicet operationis (creativae) participem fuisse illum qui, etsi incubuisse eum dicit Scriptura, attamen *aliquid factum esse ex aquis eo die quo incumbebat non dixit*? Quemadmodum autem per ministerium ipsum nubium, id est ex umbra primae noctis, memorata est nobis creatio nubium, die primo, ita per ministerium spiritus, id est flatus eius, voluit Moyses nos certiores facere creationis eius. Quemadmodum enim nubes non sunt sine umbra, (ita) etiam spiritus non est sine
* p. 12 flatu. * Per ministerium eorum igitur fit nobis mentio eorum quae nisi hoc modo memorari nobis non possunt. Spiritus ipse igitur flabat quia ipse ad hoc creatus est. Postquam autem flavit ostenditque *ministerio suo prima nocte* se creatum esse, denuo desiit ipso die primo, sicut abierunt nubes et dispersae sunt ipso die primo.

[8] Postquam dixit de caelo et terra et de tenebris et de abysso et de spiritu, quae facta sunt in principio noctis primae, rursus loquitur iterum de luminari facto mane primi diei. Desinentibus igitur duodecim horis nocturnis, creata est lux inter nubes et aquam et fugavit umbram nubium quae super aquam umbraculum et tenebras instruebant. Nisan enim est mensis primus, cuius noctis dieique aequalis est numerus horarum.

Perseveravit autem *lux etiam per spatium duodecim horarum*, ut dies etiam amplecteretur diem integrum, sicut etiam tenebrae amplexae sunt mensuram et spatium temporis sui. Nam etsi lux et nubes in nictu oculi creatae sunt, tamen primi diei spatia, diurnum nocturnumque, singula per duodecim horas completa sunt.

Lux igitur sicut nebula lucida erat super faciem terrae; rursusque, si velut aurora erat, aut velut columna erat quae in deserto populum illuminabat [6], certe nequibat expellere tenebras super faciem universi obductas; sed si per seipsas *(qnome)* aut per fulgorem suum in *plenitudinem universi diffusa erat*, lux erat quidem vaga, quae, ubique sparsa, firma non erat et tenebras in universo dissipabat motu carens. Tempore enim recessus sui et reditus se movebat, ut recedendo potestatem daret nocti et redeundo finem potestati eius faceret.

[9] Postquam autem ministravit (lux) fulgore suo per tres dies,
* p. 13 ne sicut nihilum in nihilum rediret, supervacaneum fuit ut daret *

[6] Cfr *Ex.*, XIII, 21.

de illa Deus testimonium quod : *ecce valde bona*; cum etiam de operibus luci anterioribus de quibus non dixerat ea valde bona esse, dixerit. Nam etiamsi ab initio, dum ea sola erant (creata) a nihilo, non dixerat, attamen postquam facta sunt ex eis omnia, dixit de illis. Quodcumque enim factum est, cum omnibus quae creata sunt per sex dies, comprehendit in illo quod dixit die sexto : *Vidit Deus quodcumque fecerat, et ecce valde bonum* [7].

Quia igitur bona creata est lux primaeva, ministravit fulgore suo tres dies; rursusque ministravit, ut dicitur, conceptioni et parturitioni omnium quae terra germinare fecit die tertio. Et factus est sol in firmamento, ut maturaret id quod luce primaeva germinaverat. Dicitur autem ex hac ipsa luce diffusa, et etiam ex igne, creatis primo die, constitutum esse solem qui factus est in firmamento; et luna stellaeque, dicitur, factae sunt ex hac ipsa luce primaeva.

Quemadmodum autem sol, qui praeest diei, cum eo quod illuminat terram, etiam maturat fructus terrae, luna etiam, quae praeest nocti, dum mitigat vim noctis fulgore suo, etiam dicitur, germinare facit secundum naturam suam primam fructus et fruges; dixit enim Iacob in benedictionibus suis : *De fructu quem germinare facit luna* [8]. Praeter alias autem (causas) propter quas lux creata est, dicitur, propter germina etiam lux creata est die primo. Postquam autem per eam produxit terra omnia in trinitate (dierum), postea ipsa (luna) facta est, et die quarto lux in typo suo : ut per lunam, sicut (antea) per lucem, fieret initium omnium fructuum, rursusque per solem fieret maturatio omnium frugum.

[10] Per lucem igitur et per aquam omnia germinare fecit terra. Etenim, etsi sine illis potuisset Deus * quodcumque de terra germi- * p. 14
nare facere, attamen haec fuit illi voluntas ostendendi nihil esse ex omnibus quae super terram creata sunt, quod non in usum et in servitium hominis crearetur.

Aqua autem, qua irrigata est terra primo die haud salsa erat. Nam etiam si velut abyssus quaedam erat super faciem terrae, tamen nondum facta erant maria. In maribus enim suis salsa facta est aqua, quae priusquam congregaretur haud salsa fuit : quando enim ad terram irrigandam missa est in plenitudinem universae terrae, dulcis fuit. Postquam autem congregatae sunt (aquae) die tertio in maribus suis, salsae factae sunt ne corrumperentur propter ...n-

[7] *Gen.*, I, 31. [8] Sic; cfr *Deut.*, XXXIII, 14.

gregationem suam, neve accipientes flumina ingredientia in eas, augerentur. Sufficit enim ad sustentandum mare mensura fluminum descendentium in illud. Ne autem desiccet illud calor solis, descendunt in illud flumina; neve increscat ascendensque operiat terram, absorbet ea salsedo eius. Nam quasi ad nihilum redeunt flumina, eo quod salsedo maris absorbet flumina.

[11] Etsi evenit ut (una) cum creatione aquarum, maria crearentur et aquis cooperirentur, etiamsi erant maria amara, aquae eis superiores non fuerunt amarae; quemadmodum enim in diluvio erant maria et operiebantur, non autem potuerunt convertere in naturam amaram suam aquas dulces diluvii quae erant super ea. Si enim amarae factae sunt, aut olivae omniaque germina quomodo servata sunt in illis? Aut domus Noe et qui cum eis erant, quomodo bibebant ex eis? Nam etsi omnes cibos ei et illis qui cum eo erant importare iussit Deus, quia undequaque esca non erat ei; sed aquam importare non iusserat ei, quia ex aquis arcae exterioribus importabant ad bibendum iis qui arcam intraverant. Sicut igitur non salsae erant aquae diluvii, maribus in eis inclusis, ita non factae sunt amarae aquae congregatae die tertio, etiam si maria infra illas amara erant.

* p. 15 * [12] Verumtamen, sicut congregatio aquarum non antecessit verbum hoc dicens : *Congregentur aquae et appareat arida,* ita etiam maria non erant, donec dixerit Deus, *congregationem aquarum vocavit mare.* Ideo simul cum nomine quod acceperunt mutatae sunt, et in ipso loco suo venerunt ad salsuginem, quam extra locum suum non habebant. Ipse autem locus eorum in ipso momento quo dixit : *Congregentur aquae in unum locum,* profundus factus est, sive scilicet terra maris subsedit infra terram, ut reciperet in se aquas proprias cum aquis quae super universam terram erant; sive aquae se invicem exsorbuerunt ut sufficeret eis locus; sive locus maris tremuit et factum est in eo profundum magnum irrueruntque in ictu oculi aquae in locum suum depressiorem. Nam etsi voluntas Dei congregabat eas, tamen in ipsa creatione terrae patefacta est ianua aquis ut in unum locum congregarentur. Et, sicut neque in congregatione aquarum priorum neque secundarum, inventus est locus qui colligeret eas, ex defectu loci quo exirent inde, ita in omnibus pluviis et inundationibus exeunt et congregantur in maria sua per semitas et vias a die primo sibi patefactas.

[13] Rursusque etiam aquae supernae, quia die secundo separatae sunt a ceteris per firmamentum inter eas constitutum, dulces sunt sicut ceterae, non illae quae salsae factae sunt die tertio in mari suo, sed illae a quibus seiunctae sunt die secundo. Non sunt igitur salsae, quia nec etiam corrumpuntur. Non enim super terram ponuntur (ita) ut corrumpantur; nec aer hic servit ibi (ita) ut generent et scateant; nec etiam flumina effundunt se in illas ne deficiant, quia non est ibi sol calefaciens eas (ita) ut deficiant; sed ad rorem benedictionis manserunt et ad cataractas plagarum servatae sunt.

Non autem vagantur aquae firmamento superiores, quia formatum in non-formato non vagatur, neque ens in non-ente se movet. Res enim quae a nihilo creatur, in ipsa sua creatione possidet omnia, * id est se movere et ascendere descendereque in illa re in qua creata * p. 16 est. Aquae igitur superiores a nihilo circumdatae, nec possunt inclinari aut vagari, quia nihil habent quo inclinentur aut vagentur.

[14] Caelum nempe et terra ignisque ac spiritus et aqua e nihilo creata sunt, ut testata est Scriptura; lux autem facta die primo, cum ceteris operibus factis, ex aliqua re facta sunt. Dum autem de his quae ex nihilo fuerunt dictum est : *Creavit Deus caelum et terram,* ignem autem et aquam et spiritum, etsi non est scriptum illa creata esse, tamen nec etiam dicitur illa facta esse : ex nihilo igitur fuerunt, sicut caelum et terra quae fuerunt ex nihilo.

[15] Postquam autem incepit facere aliquid ex re aliqua, scriptum est quia : *Dixit Deus : Fiat lux,* et cetera; et, si dictum est : *Creavit Deus dracones magnos* [9], tamen prius est illud : *Scateant aquae reptilibus* [10]. Hae igitur quinque creaturae ex nihilo creatae sunt, ceterae aliae factae sunt ex iis ipsis quae ex nihilo fuerunt.

Ignis etiam hoc ipso die primo creatus est, etiam si non scriptum est illum creatum esse : quia enim in alio est ille (ignis) qui non seorsum est, una cum illa re in qua est, creatus est, quia impossibile est id quod sibi non est, praecedere rem illam quae fuit illi causa ut esset. (Ignem) autem in terra esse natura testatur; ⌈eum terra autem eum non creatum esse, Scriptura definit; dicit enim : *In principio creavit Deus caelum et terram.* Desistet igitur et ignis cum non est cum terra, etiam si iussum est, cum aquis spirituque ac nubibus, terram et aquas omni tempore de sinu suo generare illum [11].

9 Cfr *Gen.*, I, 21. 10 Cfr *Gen.*, I, 20. 11 Textus dubius.

[16] Etiam tenebrae non sunt entia-a-se *(itya)* neque creatura, * p. 17 quia umbra sunt, ut Scriptura demonstrat: non autem ante * caelum, neque post nubes creatae sunt; quia (simul) cum nubibus, ex nubibus generatae sunt. In alio a se enim subsistunt et ipsae, quia substantiam *(qnoma)* propriam non habent; et dum id in quo subsistunt recedit, tenebrae etiam cum illo et sicut illud recedunt. Id autem quod annihilatur in alio recedente, socium est illius quod non est, quia aliud fuit illi causa ut esset.

Tenebrae autem quae a nubibus et firmamento sunt, et ob lucem primaevam solemque (amplius) non sunt, quomodo essent a seipsis, illae quas unum operculo suo generat, et aliud ortu suo discutit? Si autem unum creat aliquid et adducit ad esse, aliudque ad nihilum reducit illud, quomodo ens-a-se *(itya)* esset? Ecce enim nubes et firmamentum, quae in principio creata sunt, genuerunt eas et lux quae creata est die primo, ad finem reducit eas. Si autem creatura creavit eas, et altera dissipavit eas, — una enim, exinde et deinceps, ea ipsa hora adducit eas ad visibilitatem, alteraque eo ipso momento quo ad nihilum rediit, ad nihilum reduxit eas, — necessario haec est quae eas incipere facit et desinere. Et si creaturae adducunt eas ad esse et dissipant eas, creatura creaturarum sunt, quae sunt umbra firmamenti, et evanescentes sunt coram alio, quippe dissipabiles sunt coram sole. Has igitur (tenebras), quae indesinenter subduntur creaturis, doctrinae (erroneae) adversarias creaturis asserunt eas, et id quod a seipso ne substantiam quidem propriam habet, ens-a-se *(itya)* faciunt illud.

[17] Et postquam locutus est de operibus quae primo die facta sunt, incepit scribere de operibus quae die secundo facta sunt, sic dicens : *Dixitque Deus : Fiat firmamentum medium aquarum et dividat aquas inferiores firmamento ab aquis superioribus firmamento* [12]. Firmamentum autem quod est in medio aquarum, ex aquis firmatum est. Quanto extensae sunt aquae super faciem terrae, tanta est illi mensura. Rursusque, si productione sua, supra terram * p. 18 factum est, terra enim et aquae et ignis infra illud erant, rursus * etiam aquae et spiritus et tenebrae supra illud erant. Quomodo autem (firmamentum) hoc quod velut fetus loco suo inclusum est in sinu hoc, alii hoc quod medium universi creatum est sinum universi asserunt illud esse?

[12] *Gen.*, I, 6.

Sed si medium universi creatum est firmamentum, lux et tenebrae et spiritus quae erant supra firmamentum, dum illud creatum est, supra firmamentum occlusa sunt. Si enim nocte factum est (firmamentum), simul cum aquis illic manentibus, etiam tenebrae et spiritus illic manserunt. Rursusque, si die factum est, cum aquis rursus lux et spiritus illic superfuerunt. Et si illic permanserunt, ea quae hic (sunt), alia sunt, et quandonam creata sunt? Rursusque, si non permanserunt illic, quomodo denuo et factae sunt infra illud naturae quae dum creatum est (firmamentum) supra illud erant?

[18] Firmamentum autem vespere noctis secundae creatum est, sicut caelum, quod factum est vespere noctis primae. Simul autem cum productione firmamenti, facta est dissipatio tabernaculi nubium quod ministerium noctis ac diei, vice firmamenti gerebat. Quia scilicet inter lucem et tenebras creatum est, non remanserunt tenebrae supra illud, quia umbra nubium cum dissolutis nubibus dissoluta est. Neque etiam ex hac luce quidquam remansit illic, quia completa erat mensura horarum eius, et immerserat in aquas sibi inferiores.

Rursus nec etiam spiritus remansit illic quia etiam non erat illic : nócte prima enim dicitur spiritum incubuisse, sed non erat nocte secunda. Si autem nocte prima, qua flabat (spiritus), conditum esset firmamentum, quaestio esset. Si tamen dum firmamentum creabatur, non scriptum est illum flavisse, quis dicet illic fuisse spiritum, dum Scriptura non dicit illum fuisse?

[19] Postquam nimirum incubuit spiritus die primo, praestititque per suam spirationem ministerium suum, rediitque ad quietem, postea factum est firmamentum : patet igitur illum non supra permansisse nec infra * descendisse. Quomodo enim quaerendum esset in regione aut loco id quod propriam substantiam *(qnoma)* habet tempore ministerii sui, et cuius, cum fine ministerii, deficit spiratio? Nam tria habuit spiritus die creationis suae : creari scilicet ex nihilo, et spirare in aliquid et intra aliquid et denuo abscondi in quiete sua.

[20] Postquam autem haec tria habuit spiritus, tunc creatum est firmamentum, vespere diei secundi : ideo nihil cum eo ascendit quia nihil supra illud remanserat. Inter aquas enim et aquas quas iussum est separare, fecit separationem, non autem inter lucem et spiritum ac tenebras, quia non iussum est illi.

Lux igitur prima nocte non erat· nocte autem secunda et tertia, in aquas firmamento inferiores immergebatur et emergebat, sicut

diximus; nocte autem quarta, qua congregatae sunt aquae in locum unum, dicitur formata esse et constituta ex illa (luce) et ex igne solem et lunam stellasque; et regiones etiam distributas esse luminaribus illis: luna enim ad occidentem firmamenti stetit, sol autem ad orientem et stellae dispersae sunt ordinatim illa ipsa hora per totum firmamentum.

Etsi autem de luminare primo die facto dixit Deus illud esse valde bonum, tamen de firmamento die secundo facto non dixit. Quia enim nondum perfectum erat firmamentum, non erat in apparatu neque ornatu suo, mora facta est a Creatore dum fierent luminaria; ut, ubi (firmamentum) ornatum esset sole et luna stellisque, et vis tenebrarum eius dissipata esset luminaribus in ipso splendentibus, tunc diceret de illo etiam, sicut (dixerat) de aliis, illud valde bonum esse.

[**21**] Postquam dixit de firmamento facto die secundo, rursus scripsit de congregatione aquarum necnon de herba arboribusque, quas die tertio produxit terra, sic dicens : *Dixitque Deus, congre-*
* p. 20 *gentur aquae de sub caelo in unum locum * et appareat arida* [13]. Per hoc autem, quod dixit : Congregentur aquae in unum locum, certum est terram sustinere maria, nec factas esse infra terram abyssos supra nihil stantes. Etsi autem aquae simul cum Dei verbo noctu congregatae sunt, tamen in nictu oculi facies terrae siccata est.

[**22**] Postquam autem facta sunt haec duo, mane iussit Deus terram producere herbam et gramen cuiusvis generis et similiter arbores etiam diversas omnium fructuum. Gramina autem, etsi ortu suo unius horae essent, aspectu tamen habebant menses plures; et ita arbores, etsi germinatione sua unius diei essent, tamen perfectione sua fructibusque quibus rami earum onerabantur, quasi plurium annorum erant. Herba enim quae necessaria erat ad cibum animalium quae creanda erant post biduum parabantur, et frumentum quo vescerentur Adamitae qui post quattuor dies e paradiso eiciendi erant, parabantur.

[**23**] Postquam dixit de congregatione aquarum et de proventibus terrae die tertio, rursus scripsit de luminaribus creatis in firmamento, et sic dixit : *Dixitque Deus : Fiant luminaria in firmamento caeli ad discernendum inter diem et noctem* [14], id est : Ut unum eorum dominetur diei alterumque nocti.

13 *Gen.*, I, 9. 14 *Gen.*, I, 14.

Et quod dixit : *Sint in signa,* id est horarum, et : *Sint in tempora,* patet aestatis scilicet et hiemis. Et : *Sint in dies,* qui mensurantur ortu et occasu solis. Et : *Sint in annos,* qui componuntur diebus solis et mensibus lunae.

Dixit igitur quia : *Fecit Deus duo luminaria maiora, luminare maius in dominationem diei, et luminare minus in dominationem noctis et stellas* [15]. Etsi autem initium operum praecedentium quartum diem fuisset vespere, tamen constitutio operum diei quarti * * p. 21
mane fuit. Etenim quia completus est dies tertius, eo quod dictum est : *Factum est vespere et factum est mane, dies tertius,* non creavit (Deus) duo luminaria tempore vespertino, ne forte nox in diem verteretur et mane antiquius vespere esset.

[**24**] Quia igitur dies ea ordinatione qua creatus est dies primus facti sunt, diei etiam quarti nox sicut aliorum praecessit lucem eius. Et si vesper eius matutino tempore antiquior fuit, igitur non creata sunt luminaria vespere sed matutino tempore. Dicere enim unum eorum creatum esse vespere alterumque mane, non sinit illud: *Dixit : Fiant luminaria,* et : *Fecit Deus duo luminaria maiora.* Si magna fuerunt cum creata sunt et mane creata sunt, igitur sol ad orientem stabat et luna contra eum ad occidentem. Profundus autem erat sol et demissus, quia in loco ortus sui supra terram creatus est; alta autem erat luna, quia in loco quo stat die decimo quinto creata est. Momento scilicet quo sol apparuit supra terram, viderunt se invicem luminaria et postea occidit luna. Ex lunae scilicet loco et ex magnitudine eius ac illuminatione, certum est illam decimum quintum diem agentem creatam esse.

[**25**] Quemadmodum enim adultae erant arbores graminaque et animalia atque volucres et etiam homo, et novelli erant, — adulti enim erant ex aspectu membrorum suorum et personarum *(quoma)*, novelli vero erant propter horam et tempus creationis suae, — ita etiam luna perfecta erat et recens; recens erat quippe quae unius horae erat, adulta autem erat quia velut die decimo quinto plena erat.

Si enim creata fuisset unius diei vel duorum, (luna) non illuminasset, propter proximitatem suam ad solem, sed ne visa quidem esset. Et si creata fuisset sicut quattuor dierum (luna), etiam si

15 *Gen.*, I, 16.

* p. 22 visa esset, non illuminasset tamen * et mendacii convictum esset illud : *Creavit Deus duo luminaria maiora,* cum illo : *Dixit : Fiant luminaria in caelo ... ad illuminandum super terram.* Quia scilicet luna diei decimi quinti facta est, sol autem, et si unius diei erat, tamen ipse etiam quadriduanus erat; ab ipso enim sole numerati sunt et numerantur omnes dies.

Hi igitur undecim dies quibus luna senior est sole, et qui suppleti sunt lunae primo anno, ii sunt quos cuicumque anno addunt ei illi qui utuntur computatione lunari. Nam annus ille Adamitarum non mancus fuit, quia in ipsa lunae creatione suppletus est defectus mensurae lunae. Ex illo autem anno et deinceps, didicerunt Adamitae undecim dies omni anno addere. Minime certo Chaldaei ordinaverunt tempora et annos, qui ante Adam ordinabantur.

[26] Postquam locutus est de luminaribus in firmamento factis, rursus scripsit de reptilibus volatilibusque et draconibus, ex aqua creatis (die) quinto, sic dicens : *Dixitque Deus : Scaturiant aquae reptilibus animae viventis et volatilia volent super terram. Creavitque Deus dracones maiores et omnem animam viventem quam scaturire fecerunt aquae in genere suo*[16].

Quia autem, congregatis aquis, quae secundo die in ordine dispositae sunt, flumina facta erant et apparuerant fontes et cisternae et stagna, (statim) cum verbo Dei aquae dispersae inter creaturas generabant ab intra reptilia et pisces; dracones in abyssis creabantur, volatilia gregatim e medio fluminum aerem verberabant.

Dracones autem maiores qui creati sunt, — etsi Leviathan in mari habitare dicitur a prophetis[17], sed Behemoth in arida Iob[18] dicit eum sedere; David etiam dixit eum esse unum ex iumentis[19],
* p. 23 cuius * pascuum est super mille montes, id est locus ubi recumbit, — (dracones) forsitan post creationem suam per loca sua dispersi sunt, ut Leviathan habitaret in mari, Behemoth in arida.

[27] Postquam locutus est de reptilium creatione, et volatilium draconumque, quae quinto die facta sunt, denuo scribit de reptilibus et de animalibus pecoribusque, quae sexto die creata sunt, sic dicens : *Dixitque Deus : Educat terra animam viventem secundum genus suum, pecora reptiliaque et animalia.* Etsi reptilia quidem

16 *Gen.*, I, 16-21. 17 Cfr *Is.*, XXVII, 1. 18 Cfr *Iob*, XL, 1. 19 Locus mendosus. *Ps.* L, 10 *Behemot* habet Targum, vice text. hebr. *qui pascitur super colles.* Cfr Biblia polyglotta, h. loc.

scaturire faciebat universa terra, animalia tamen et pecora iuxta paradisum facta sunt, ut in vicinitate Adae habitarent.

Scatens igitur fuit universa terra reptilibus, sicut iussum fuit illi, et produxit animalia agrestia, sequentibus ea feris; produxitque pecora, quantum utile erat servitio illius qui hoc ipso die mandatum Domini sui fregit.

[28] Postquam autem locutus est de reptilibus et animalibus et pecoribus, (die) sexto creatis, rursus scripsit de creatione hominis qui eodem die sexto creatus est, sic dicens: *Dixitque Deus...* Cuinam autem dicebat Deus? Hic et ubique, cum creabat, patet illum Filio suo dixisse; dixit enim de illo evangelista : *Quia omnia per eum facta sunt et sine eo nihil quidem factum est*[20]; et Paulus etiam de hoc definit et dicit : *Per eum creatum est quod est in caelo et quod in terra, omnia visibilia et omnia invisibilia*[21].

[29] *Dixitque Deus : Faciamus hominem ad imaginem nostram*[22] qui, scilicet, usque ad hoc potestatem habeat ut, si libet, audiat nos. In quonam essemus imago Dei iterum explicavit Moyses dicendo : *Ut praesint piscibus maris et volatilibus pecoribusque et omni terrae.* Potestate igitur quam accepit Adam in terram et in omnia quae in ea sunt, erat similitudo Dei illius in cuius potestate erant supera et infera.

Illud autem dictum : *Masculum et feminam creavit eos,* ad significandum in eo (Adam) fuisse * Evam in costa quae ex eo extracta * p. 24
est. Etenim, etiam si quoad mentem in eo non fuit, attamen quoad corpus in illo erat. Nec quoad corpus tantum cum eo erat haec quae cum eo erat etiam quoad corpus et animam : nihil enim addidit Deus costae quam decerpsit, nisi ornatum et formationem. Et si ex ipsa et in ipsa costa completum est omne quod utile erat Evae quae e costa facta est, recte dictum est : *Masculum et feminam creavit eos.*

[30] *Et benedixit illis Deus et dixit eis : Crescite et multiplicamini et implete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus omnibusque animalibus repentibus super terram.* Ideo autem in hac terra benedicti sunt, quia priusquam peccarent paratum est eis hoc habitaculum, quia, priusquam peccarent, sciebat (Deus) eos peccaturos esse.

20 *Ioh.*, I, 3. 21 *Col.*, I, 16. 22 *Gen.*, I, 26.

Crescite et multiplicamini et replete, non paradisum, sed *terram et dominamini piscibus maris volatilibusque et omnibus animalibus* [23]. Quomodo autem dominaturus erat piscibus maris, si vicinus maris futurus non erat? Et quomodo dominaturus erat volatilibus ubique volantibus nisi quia prognati eius ubique habitaturi erant? Et quomodo dominaturus erat omnibus animalibus nisi quia posteri eius futuri erant in plenitudine universae terrae?

[**31**] Etsi autem in creatione eius et benedictione, ut dominaretur terrae et omnibus quae sunt in ea creatus erat et benedictus, attamen (Deus) sedere eum fecit in paradiso. Ostendit certe praescientiam suam (Deus) benedictionibus suis; ostenditque beneficentiam suam loco ubi statuit eum. Etenim, ne diceretur paradisum non creatum esse propter eum, ibi in paradiso statuit eum; at ne diceretur nescivisse Deum (hominem) peccaturum esse, in hac terra benedixit eum; et benedixit eum ante transgressionem mandati, ne forte in benedicendi (hominis) transgressione impedirentur benedicentis benedictiones et ad nihilum rediret mundus propter peccatum illius cuius gratia creata sunt omnia.

p. 25 * In paradiso igitur non benedixit eum, quia hic locus et quodcumque in eo benedictum erat; prius autem benedixit eum in terra, ita ut benedictione qua praeveniens benedicebat benignitas, remissa fieret maledictio terrae quae maledicenda erat a iustitia. Etsi autem benedictio (Dei) ad promissionem erat, quia post exitum (Adae) e paradiso postea perficienda erat, attamen bonitas (Dei) ad effectum venit quia hoc ipso die natum (Adam) habitare fecit in horto gloriaque induit eum et omnibus arboribus paradisi dominari fecit eum.

[**32**] Postquam dixit de reptilibus pecoribusque et animalibus atque de hominibus et de benedictione eorum sexto die, rursus scripsit de requie quae fuit Deo die septimo, sic dicens : *Et perfecti sunt caeli et terra et omnis virtus eorum; et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus quae fecerat* [24].

Et a quonam labore requievit Deus? Quia, ecce, creaturae quae factae sunt primo die, nutu factae sunt, excepta luce quae verbo facta est; cetera autem opera quae facta sunt postea verbo facta sunt. Quisnam certe labor fuisset nobismetipsis, inquam, unum verbum per diem loqui, ut Deo fuisset labor propter unum verbum

23 *Gen.*, I, 27 ss. 24 *Gen.*, II, 1 ss.

quod per diem loquebatur? Et si Moyses dividens mare verbo et baculo non fatigatus est; et Iosue filius Nun, verbo cohibens luminaria non fatigatus est, et Deo quisnam labor fuit creare mare luminariaque verbo?

[**33**] Minime quidem ut requiesceret die illo, is qui non fatigatur, benedixit sanctificavitque (diem); neque ut concederet eam populo illi; — quia non discernebant (dies) quando liberati sunt a servitute sua; — ut requiem darent servis famulabusque, dedit eis ita ut etiam vi requiem darent eis.

Etenim datum est eis ut figuraret sabbato temporali, quod daturus erat (Deus) populo temporali, figuram sabbati veri, quod dabitur mundo aeterno in mundo aeterno.

* Rursusque quia septimana integra quaerebatur, magnificavit * p. 26
verbo (diem) illum quem opera non magnificaverant; ita ut propter honorem illi concessum, coniungeretur sociis suis et compleretur numerus septimanae ad mundi ministerium necessariae.

[SECTIO II]

[**1**] Postquam dixit de sabbato quietem quodque Deus benedixit et sanctificavit hunc diem, rediit denuo ad narrationem formationis primae creaturarum, ita ut breviter transiret in ea quae dixerat et abundanter enarraret ea quae omiserat. Ideo incipit scribere denuo historiam creaturarum, sic dicens : *Hae sunt,* inquit, *generationes caeli et terrae quando creata sunt. In die quo fecit Deus caelum et terram et omnes arbores agri non erant, nec herba germinaverat, quia pluviam non fecerat (Deus) descendere super terram et Adam non erat ad laborandum super terram. Fonsque ascendebat et irrigabat omnem faciem terrae* [1].

[**2**] Considera autem, auditor, quod etsi dies creationis completi sunt, diemque sabbati sanctificatum benedixit desinereque fecit Scriptura, attamen denuo narrat iterum initium operum, etiam post completos dies operum.

Hae sunt generationes caeli et terrae, id est : haec est historia constitutionis caeli et terrae, *die quo fecit Dominus caelum et terram, quo autem omnes arbores agri nondum erant; et herba non*

1 *Gen.*, II, 4-7.

germinavit. Haec autem etiam primo die non creata sunt vera, quia die tertio facta sunt; sed non in vanum introduxit in diem primum narrationem illorum quae creata sunt die tertio.

[3] Dictum est enim : *Arbores non erant, nec herba germinavit, quia non descendere fecit Dominus pluviam super terram; fonsque* * p. 27 *ascendebat de terra ad irrigandam universam faciem terrae.* * Etenim quia omnia ex commixtione aquae et terrae nata sunt et nascuntur de terra, curam adhibuit ostendendi etiam arbores et herbas non (simul) cum terra creatas esse, quia nondum descenderat pluvia; postquam autem ascendit fons magnus abyssi magnae et irrigavit universam faciem terrae, tunc, postquam congregatae sunt aquae die tertio, produxit terra omnem herbam eo ipso (die) tertio.

Hae nempe aquae, super quas extensae sunt tenebrae die primo, hae sunt quae exsilierunt ex hoc fonte et in ictu occuli texerunt universam terram; et hic idem est qui apertus est in diebus Noe, et operuit faciem omnium montium super terram. Hic nempe fons non de sub terra ascendebat, sed de terra. Dictum est enim : *Fons exsiliebat* non de sub terra, sed *de terra.* Et has aquas ipsas, quae sunt in terra, haud antiquiores terra fuisse, ipsa terra sustinens eas in sinu suo, testis est.

Fons igitur *ascendit de terra,* sicut dixit Scriptura, *et irrigavit superficiem universae terrae,* (quae) tunc dedit arbores et herbas et germina. Non fuit quasi non posset Deus nisi hoc modo producere de terra omnia, sed quia per aquam voluntas ei erat ut terra produceret, (ideo) praefecit et ei initium, ita ut usque in finem procederet haec ipsa.

[4] Postquam dixit de illis quae omissa sunt nec narrata fuerunt in die primo, rursus scripsit de formatione Adae, sic dicens : *Et Adam non erat ad laborandum in terra*; nec erat in his diebus ante sextum, quia (die) sexto creatus est. *Et formavit Dominus* (die) sexto, *Adam, terram de limo et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est Adam in animam viventem.* Etsi autem animalia et iumenta ac volatilia simul fecunditatem suam animasque habebant, Adam tamen multipliciter honorat (Deus); primo autem hoc * p. 28 quod dicitur, quod Deus manibus suis formavit eum * et inspiravit animam in eum, dominumque constituit eum in paradiso, et eorum quae extra paradisum, et induit eum gloria deditque ei rationem suam, et consilium quo perciperet maiestatem.

[5] Postquam dixit de formatione honorifica Adae, rursus scripsit de paradiso et de ingressu Adae illuc, sic dicens : *Plantavitque Dominus paradisum in Eden ab initio; posuitque illic Adam quem formaverat* [2].

Eden autem est ipsa terra paradisi et dictum illud : *Ab initio,* quia die tertio plantaverat eum. Hoc enim explicat dicens : *Germinare fecit Dominus de terra omnem arborem desiderabilem visu delectabilemque ad vescendum.* Ut autem ostenderet de ipso paradiso se loqui, dixit : *Arborque vitae in medio paradisi et arbor cognitionis boni et mali* [3].

[6] Postquam dixit de paradiso quonam die plantaretur et de Adae introductione illuc ac de arbore vitae et altera, rursus scripsit de flumine exinde exeunte et diviso in quattuor capita exterius, sic dicens : *Fluvius exibat de Eden ad irrigandum paradisum* [4].

Ecce heic etiam terram paradisi deliciis affluentem (nomine) Eden vocat. Ipse autem fluvius, si ipsum paradisum irrigasset, non in quattuor capita exterius divisus esset. Dico autem forsan per abusionem illum dici irrigare, quia arbores spirituales paradisi non indigebant aquarum irrigatione. Num autem, etsi spiritales sint, bibant ex aquis illius loci benedictis spiritualibusque, nec etiam de hoc disputabo.

Quattuor autem fluvii fluentes de illo flumine dissimiles erant, quantum ad gustum, gustui fontis; si enim in terris nostris diversae sunt aquae, omnibus subiectis poenae maledictionis, quam diversus fuit (igitur) gustus terrae benedictae Eden a gustu terrae * quae * p. 29 transgressione Adae subiecta est maledictioni Iusti (Dei).

Fluvii igitur illi quattuor sunt : Pison (est) Danubis; Gihon Nilus, Deqlat (Tigris) autem et Prat (Euphrates) ecce inter eos habitamus; et si nota sunt loca e quibus scaturiunt, tamen non est hoc caput fontis. Nam, cum in monte excelso positus est paradisus, circumeuntes eum absorpti sunt fluvii et descenderunt in mare, quasi de alto cantharo, et postquam transierunt in terram, heic infra mare, (terra) evomuit unum eorum [Pison, scilicet Danubim] ad occidentem Gihonque ad meridiem, Prat et Deqlat ad septentrionem.

[7] Postquam dixit de paradiso et de fluminibus ex eo divisis, rursus locutus est de ingressu Adae in paradisum et de lege ei

2 *Gen.*, II, 8. 3 *Gen.*, II, 9. 4 *Gen.*, II, 10.

statuta, sic dicens : *Duxitque Dominus Deus Adam et reliquit eum in paradiso Eden ut coleret eum et custodiret* [5].

Quonam coleret eum, instrumenta culturae non habens? Et quomodo posset eum colere cum impossibile esset ut sufficeret ei? Aut a quonam (emundando) eum laboraret, cum vepres aut spinae non erant ibi? Rursusque quomodo custodiret eum, ille qui non poterat circumire eum? Sed a quo custodiret eum, cum latro non erat qui illuc intraret? Septum autem, quod post transgressionem mandati factum est, ipsum testatur necessarium non fuisse custodem, dum custodiebatur mandatum.

Non erat autem Adae custodia illic, nisi legis quae ei sancita est, nec etiam labor iniunctus ei nisi ut perficeret mandatum quod sancitum est illi; si autem, praeter mandatum, haec etiam duo iniungebantur ei, aut iniuncta sunt, his etiam non contradico.

* p. 30 * [8] Postquam dixit de ingressu Adae in paradisum et quam ob causam illuc introduceret eum, rursus scripsit de lege ei sancita, sic dicens : *Iussitque Dominus Deus Adae et dixit ei : De omnibus arboribus quae sunt in paradiso comedendo comedes, de arbore autem scientiae boni et mali ne comederis, quia die quo de illa comedes, morte morieris* [6].

Hoc autem mandatum leve fuit, quia dedit illi (Deus) totum paradisum prohibuitque eum ab una arbore (tantum). Una enim, si sufficit ad hominis victum qui prohibitus est a multis, sustentatur necessitas eius qui habet cibum ad famem suam. Si autem vice unius ei sufficientis, multae dantur ei, tunc, si fit, transgressio non est ex necessitate sed ex contemptu.

Prohibuit igitur eum (Deus) ab una arbore quam saepsit morte, ut si non propter amorem legislatoris custodit legem eius, saltem timor mortis saepientis arborem terreret eum a transgressione legis.

[9] Postquam dixit de ingressu Adae in paradisum et de lege ei sancita, rursus scripsit de nominibus quae imposuit animalibus, sic dicens : *Formavitque Dominus de terra universa animalia deserti et volatilia caeli et adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea* [7].

Et ecce, minime quidem per formationem terra produxit animalia et aqua volatilia. Hoc autem indicere voluit illo dicto *formavit* :

[5] *Gen.*, II, 15. [6] *Gen.*, II, 16-17. [7] *Gen.*, II, 19.

ex commixtione terrae et aquae facta esse universa animalia et reptilia pecoraque et volatilia.

Quod autem dixit : *Adduxit ea ad Adam*, ut ostenderet sapientiam eius et quaenam esset pax inter animalia et Adam ante mandati transgressionem. Illa enim venerunt ad eum velut ad pastorem amantem, et singuli greges secundum familias generaque sua transierunt sine metu ante eum, * neque eum timebant neque ipsa ad invicem * p. 31 pavebant. Transiit turma ferarum nocivarum venitque post eam sine timore familia eorum quibus nocent.

[10] Suscepit igitur Adam potestatem in terram, et factus est dominus universi hoc ipso die, sicut benedictus erat. Pervenit ad effectum verbum Creatoris et opere perfecta est benedictio eius. Eo ipso die natus, dominatus est in universum quanquam celerrime restitit Domino universi. Neque vero quam ei promiserat potestatem universi tantum dedit ei, quia etiam quam non promiserat nuncupationem nominum addidit ei. Et si praestantius quid non petitum fecit illi (Deus), quomodo privasset eum ab eis quae promiserat, nisi peccati causa? Etenim, hominem imponere nomina pauca numero non est magnum si memoria servantur; praestat tamen humanitati et altius est ea, si quis in una hora imponit milia nominum ceteraque non nominibus priorum nominat. Aliquem enim proferre multa nomina in multas species serpentium et animalium pecorumque et volatilium, possibile est; sed non nominare genus aliquod nomine alterius, hoc Dei est aut hominis cui a Deo concessum est.

Si illi quidem auctoritatem dedit (Deus) et vis creativae participem fecit eum gloriaque induit eum et hortum dedit ei, quid amplius debebat facere ei et non fecit, ut cautum fieret de mandato?

[11] Postquam dixit de formatione animalium et de nominibus ab eis acceptis, rursus scripsit de somno Adae et de costa ex eo ablata et in mulierem constituta, sic dicens : *Adae non inventus est adiutor similis sibi.* « Adiutorem » autem vocavit Evam quia, etsi habebat Adam in animalibus pecoribusque adiutores, attamen aliquo eiusdem generis et simili sibi opus erat ei, Eva enim, quae intus curam gereret et de ovibus gregibusque boum et equorum porcorumque agrestium sollicita foret et in aedificiis et artificiis quae occurrerent, adiuvaret eum. Animalia * enim, etsi subiecta, tamen in illis adiuvare nequibant, et propterea fecit ei adiutricem hanc quae curam haberet cum eo cuiuscumque rei et quidem in pluribus adiuvaret eum.

[12] *Immisit Dominus soporem in Adam et dormivit, et tulit unam de costis eius et inclusit carnem pro ea : et formavit Dominus costam quam tulerat de Adam in feminam et adduxit eam ad Adam*[8]. Vir autem vigil[9], quia splendore unctus, et quid sit somnus hucusque nesciens, cecidit in terram nudus et dormivit; et verisimile est Adamo somnianti per visum fuisse obiectum quod tunc in ipso gerebatur.

Costa autem in nictu oculi ablata, caro vice illius in palpebrae motu suppleta est et exserta costa disposita est cum omnibus formis et omnibus decoribus; et duxit (Deus) praesentavitque eam ad Adam, qui unus factus est et duo : unus fuit qui Adam fuit, duo fuit qui *masculus et femina creatus est*[10].

[13] Postquam dixit de sopore eius et de costa exserta et de muliere ex illa ficta adductaque ad eum, scripsit : *Dixit Adam : Hoc tempore os de ossibus meis et caro de carne mea. Haec vocabitur mulier quia de viro sumitur*[11].

Hoc tempore, ait, id est : haec quae venit post animalia, non facta est similis illis. Illa enim de terra sunt, *haec autem os ex ossibus meis et caro de carne mea.* Certe, aut prophetice hoc locutus est, aut somnii visione vidit et scivit, sicut supra diximus. Quoniam autem omnia animalia eodem die acceperunt nomina familiarum suarum, etiam costam confictam non vocavit Evam, nomine personali, sed mulierem nominavit, nomine toto generi imposito. Dictumque : *Relinquet vir patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae*[12] *:* quia societatem inibunt et erunt ambo sine divisione unum, quemadmodum erant olim.

[14] Postea dixit : *Erant ambo nudi et non erubescebant*[13]: quod
* p. 33 autem non * erubescebant, minime quidem fuit quia nesciebant quid esset pudor. Si enim parvuli fuissent, sicut dicunt profani, non diceretur illos nudos non erubuisse; nec etiam diceretur Adam et uxor eius, nisi quia adulescentes. Sufficiunt autem nomina ab Adam imposita ad persuadendum de sapientia eius; et quod dicitur : *Ut operaretur et custodiret illum,* (sufficit) ad significandum robur eius; et lex ei imposita testis est de adulta aetate eorum; et transgressio mandati testis est de superbia eorum. Propter gloriam qua induti sunt non erubescebant, qua ab eis ablata post mandati transgressionem, erubuerunt quia nudi facti sunt. Et irruerunt ambo ad folia ut tegerent, non quidem corpora sua, sed membra ignominiosa.

[8] *Gen.*, II, 21-22. [9] *Vigil*, nomen angelorum apud Syros. [10] *Cfr Gen.*, I, 27; V, 2. [11] *Gen.*, II, 23. [12] *Gen.*, II, 24. [13] *Gen.*, II, 25.

[15] Postquam dixit nuditatem eorum ornatam fuisse indumento caelesti, et illos non erubuisse, rursus scripsit de astutia serpentis sic dicens : *Et serpens erat astutior omnibus animalibus agrestibus quae fecerat Dominus*[14]. Etsi autem astutus erat — animalibus brutis ab homine rectis astutior erat, — non ideo quia praestabat calliditate sua modum animalium, iam (serpens) ad modum humanum elevatus est; pecoribus brutis astutior erat, et animalibus ignaris callidior. Serpentem enim, qui intellectum hominis non habebat, patet non habuisse sapientiam humanam; rursusque patet Adam, qui formatione et anima ac mente atque gloria et loco praestans serpente erat, etiam calliditate infinite illo potiorem esse. Omnibus enim animalibus sapientior erat Adam qui dominus et rector praefectus est animalibus, et omnibus prudentior erat ille qui omnibus imposuerat nomina. Quemadmodum enim nequibat Israel sine velo in faciem Moysis inspicere, ita animalia etiam inspicere in splendorem Adamitarum nequibant. Oculis demissis transierunt coram eo quando accipiebant ab eo nomina, * quia nequibant oculos suos * p. 34
implere gloria eius. Ideo, etsi (serpens) astutior erat animalibus, adversum Adam et Evam animalium dominos, bruta erat.

[16] Postquam locutus est de astutia serpentis, rursus scripsit de adventu fraudis ad Evam, sic dicens : *Dixitque serpens ad mulierem : An vere dixit Deus ne comederetis ex omnibus arboribus paradisi*[15]*?* Serpentis autem sermonem, vel propriam vocem ipsius serpentis cognovit Adam, aut Satanas locutus est per eum, aut ipse serpens sua sponte petivit sermoque datus est ei; aut Satanas petivit a Deo ut aliquantisper sermo daretur serpenti. Sermo autem tentatoris nequaquam peccare fecisset tentatos si cupiditas eorum dux non fuisset tentatori. Etenim, etiam si non venisset tentator, arbor ipsa specie sua bellum cum ingluvie eorum fecisset. Occasionem certe acceperunt, hortante serpente, illi quibus cupiditas, sicut hortatio serpentis et plus quam hortatio eius, facta est noxia.

[17] Dictum est enim : *Vidit mulier quod grata esset arbor ad vescendum et oblectamentum esset oculis et arbor delectabilis esset aspectu. Et tulit de fructibus eius, et comedit.* Certe, si venustate

[14] *Gen.*, III, 1. [15] *Gen.*, III, 1 ss.

arboris et oblectamento fructus eius victa est, non fuit hortamento in aurem suam immisso victa, illa quae peccavit ex concupiscentia de suo corde.

Etenim, quia tentationi obnoxiis impositum erat mandatum, oportebat aliquantisper venire tentatorem. Etenim, — quia quodcumque est in paradiso et extra paradisum, per gratiam (Deus) dedit Adae, nec repetiit ab eo (debitum) creationis eius, at ne gloriae quidem qua induerat eum, — iuste ab una arbore prohibuit eum cui dederat per gratiam quodcumque est in paradiso et in terra et in aere necnon maribus. Etenim, quia creans eum (Deus) non fecerat eum mortalem, neque haud obnoxium morti finxerat eum, ita ut ipse Adam sive mandatum servando, sive transgrediendo mandatum, obtineret ex una tantum arborum quid sibi placeret.

* p. 35 * Creavit nempe Deus arborem vitae et abscondit eam ab Adamitis primo, ne (haec arbor) pugnam ageret cum illis pulchritudine sua duplicaretque pugnam eorum et quia non oportebat ut propter mercedem coram oculis positam attenderent ad mandatum Dei invisibilis. Certe, etiam si (Deus) universa per gratiam largitus est, ex iustitia tamen statuit ut daret illis vitam immortalem quae concedenda erat esu de arbore vitae. Imposuit eis igitur mandatum. Non autem grave erat mandatum, dignum mercede excellenti quam praeparabat eis; sed ab una arbore prohibuit eos, iuxta quod sufficit ut fierent sub mandato. Dedit autem eis totum paradisum ne cogerentur legem frangere.

[18] Tentator nempe, quia requirebatur, ut dixi, non est concessum Satanae ut unus ex vigilibus[16] aut unus ex Seraphim et Cherubim propter hoc ad Adam mitteretur, sed ne ipsi Satanae quidem concessum est aspectu humano vel aspectu divino, quo venit ad Dominum Nostrum in monte, eodem etiam venire ad Adam in horto. Non venerunt animalia maiora nobilioraque, id est Behemot aut Leviathan, nec venerunt (ulla) ex animalibus aliis aut ex mundis pecoribus, ne forte in uno illorum inveniretur occasio transgressionum mandati. Sed concessum est venire ad eos serpenti huic, qui quamvis astutus, infinite tamen despectus turpisque erat.

Serpensque veniens non autem signa faciens vera aut fingens quamvis falsam speciem, sed solus venit, deiectus, oculis demissis

16 *Vigil,* id est, angelus.

quia non poterat inspicere in splendorem illius quam tentaturus erat. Et propter timorem non ad Adam venit, sed venit ad Evam ut incitaret eam ad edendum de arbore ex qua vetitum erat eam edere et quae nondum gustaverat de millibus et myriadibus sibi concessis; quod autem non gustaverat, non ideo quia ieiunabat: fames nondum adfecerat eam, quia eo ipso tempore creata erat.

* Tota (causa) cur serpens non vetitus fuerit venire festinanter, * p. 36
fuit quia ipsa serpentis festinatio adversus serpentem fuit. Tempus enim erat quo creata est Eva et quid esset fames nondum cognoscebat, nec hactenus vexabatur certamine per blandimenta arboris. Certe, quia non esuriebat (Eva) nec certamini arboris subiecta erat, non vetitus est serpens tentator fieri, ut (Eva) si vinceret in pugna momentanea brevique praelio, perferret serpens et ille qui erat in serpente poenam quam ipsi pertulerunt, et ipsa cum viro suo ederet de arbore vitae et in aeternum viverent et in vita sibi promissa, quam ex iustitia acquisivissent, esset eis datum ex iustitia quidquid prius datum est eis ex gratia. Festinans igitur venit tentator, nec vetitus est, ita ut ex hoc ipso quod (simul) cum mandato venit tentator, scirent illum esse tentatorem, ut caverent a fraude eius. Venit igitur, deditque eis promissionem magnam ille qui sibimetipsi ne nomen quidem parvum dare poterat.

[19] Dixit nempe mulieri per serpentem ille qui erat in serpente : *Verumne est dixisse Deum : Ne comederitis ex omnibus arboribus paradisi?* Oportet autem nos considerare modum (tentationis), quia si ab omnibus arboribus vetiti fuissent, sicut dixit serpens, mandatum tale grave fuisset. Quia contrario modo sancitum est eis, quasi nullum fuit mandatum, quia parvum et ad horam impositum est eis, usque adeo donec discederet tentator. *Respondit autem Eva dixitque ad serpentem : De fructibus arborum paradisi comedimus, et de fructibus arboris quae est in medio paradisi dixit (Deus) : Ne comederitis ex ea nec accederitis ad eam, ne moriamini*[17]. Serpens autem et qui erat in serpente, audientes omnes paradisi arbores datas esse illis ad vescendum unamque ab eis vetitam esse, opinati sunt se ad dedecus reversuros esse, quia viderunt nullum esse locum pollicitationi.

[20] Respexit igitur tentator ad mandatum imperantis et (vidit) eos * non tantum esse vetitos ne manducarent ex (arbore), sed etiam * p. 37

17 *Gen.,* III, 2-3.

ne accederent ad eam et intellexit (Deum) ne seducti essent a blandimento arboris praemonuisse eos cavere ab aspectu eius; quam ob causam ad respiciendum in eam impellens Evam dixit : *Nequaquam moriemini. Quia scit Deus eo die quo comederetis ex illis aperientur oculi vestri et eritis sicut Deus, scientes bonum et malum* [18]. Neglexit autem Eva serpentis verba considerare, quomodo dixisset tentator hoc in contrarium iis quae dicta sunt a Deo et obicere ei ac dicere : Quomodo aperientur oculi mei qui occlusi non sunt? Et quomodo ex esu fructus discernam bonum a malo, quia, ecce, antequam comedam, illa habeo? Neglexit autem ea quae adversus serpentem dicenda erant et, secundum voluntatem serpentis, oculos suos devertens a serpente qui erat coram se et ad arborem cuius accessus vetitus erat, respiciebat.

Reticuit autem serpens, quia iam senserat delictum eius. Non enim per aurem intrans suggestio tam impellebat eam ad edendum ex arbore, quam visus, quem ad arborem intendebat, eam alliciebat ad decerpendum edendumque de fructibus eius.

Etenim serpenti poterat dicere : Si non video, quodcumque visibile est quomodo video? Et nisi inter bonum et malum discernens, promissionem tuam utrum sit bona an mala, quomodo discerno? Divinitatem bonam esse, apertionemque oculorum pulchram esse, undenam intellego? Et mortem malam esse, undenam discerno? Si autem haec mihi non sunt, tu quare ad me venisti? Adventus tuus ad nos testificatur haec nos habere. Etenim visione quam possideo et intellectu boni et mali qui meus est, pollicitationem tuam scrutor, et si teneo ea quae tu polliceris, ubi est tota astutia tua quae non possit operire perfidiam tuam? Haec non dixit (Eva) serpenti ne forte vinceret eum; intente autem defixit visum suum in arborem ut cito vinceretur.

* p. 38 * Persequens igitur concupiscentiam oculorum suorum, et ambiens divinitatem, quam ei pollicitus est serpens, furtive comedit clam viro suo; deditque postea viro suo et ille comedit cum ea. Etenim, quia veracem credidit serpentem, prior edit (Eva), sperans se in divinitate reversuram esse ad eum a quo abierat velut femina. Festinans comedit ante virum ut fieret caput capitis sui dominareturque ei qui sibi dominabatur, et ut senior fieret in divinitate illo quo minor erat humana conditione.

18 *Gen.*, III, 5.

[21] Postquam autem comedit, nec maior aut minor facta est, nec apertionem oculorum accepit; — non enim divinitatem quam intendebat arripuit, nec apertionem oculorum quam adduceret in paradisum invenit; — attulit etiam ad virum suum et multis sollicitationibus comedere fecit illum, etiam si non scriptum est illam eum rogasse. Postquam autem comedit Eva, nec morte mortua est, sicut dixerat Deus, nec divinitatem adepta, sicut dixerat serpens. Si enim denudata fuisset, Adam timuisset nec comedisset, et si non fuisset victus eo quod non comedisset, tamen victor non fuisset, quia non tentatus fuisset. Denudatio enim mulieris suae cohibuisset eum quin ederet, non autem amor aut timor praecipientis. Certe, quia probandus erat Adam aliquantisper blanditiis Evae, sicut illa probata est pollicitatione Satanae, accessit (Eva) comeditque nec denudata est.

[22] Cum autem (Eva) induxisset Adam ad edendum, dixit Scriptura : *Aperti sunt oculi amborum cognoveruntque se esse nudos* [19]. Aperti sunt igitur oculi eorum, non ut fierent sicut Deus, ut dixerat serpens, sed ut viderent denudationem suam, ut sperabat inimicus.

Aperti erant igitur oculi eorum et capti erant. Aperti erant ut omnia cernerent, et capti erant ne viderent arborem vitae * et denudationem suam. Etenim propter hoc etiam invidebat inimicus, quia ipsi omnibus terrestribus praestantes erant gloria et ratione, et vita aeterna ex arbore vitae comparanda illis tantum promissa erat. Iis igitur quae iam habebant Adamitae, et iis quae erant accepturi, invidit inimicus et dolo contendit, et certamine momentaneo rapuit ab eis ea quae longo praelio non fuissent dissipanda. * p. 39

[23] Etenim, si pro debito reiectus fuisset serpens, ex arbore vitae comedissent et ab arbore scientiae non prohibiti fuissent : ex una enim (arbore) scientiam non fallentem assecuti fuissent et ab altera vitam immortalem accepissent, divinitatem in humanitate assecuti fuissent, et si tum scientiam non fallentem tum vitam immortalem assecuti fuissent in hoc ipso corpore, ipsis pollicitationibus suis igitur serpens tollebat id quod habituri erant. Credere fecit eos id accepturos esse transgressione mandati, et, ut evenit, nec acceperunt illud per observantiam mandati. A divinitate prohibuit eos divinitatem illis pollicendo; et oculi eorum ne illumina-

19 *Gen.*, III, 7.

rentur obstitit, arborem vitae pollicendo iis quibus promissa erat apertio oculorum per arborem scientiae.

Si autem voluissent et paenitentiam egissent post mandati transgressionem, etiam si id quod assecuti erant ante mandati transgressionem non tenuissent, tamen maledictiones sancitas in terram et in seipsos evasissent. Tota enim mora quam fecit Deus descendens ad illos (fuit) ut daret eis locum invicem se corrigendi et a Iudice ad eos veniente petendi misericordiam. Non tardaverat enim adventus serpentis, ne forte maior fieret eorum tentatio aspectu arboris delectabili. Tardavit autem Iudex veniens ad illos, ut daret eis locum petitionem parandi. Sed nec festinatio tentatoris profuit eis, etsi festinatio eius fuit ad utilitatem eorum; sed neque ex Iudicis cunctatione acceperunt utilitatem, quamquam cunctatio illa etiam propter hoc fuisset.

* p. 40 * [**24**] *Audieruntque vocem Domini deambulantis in paradiso, ad vesperam diei, et absconderunt se a facie Domini inter arbores paradisi* [20]. Minime quidem per longanimitatem tantum eis concessam voluit adiuvare eos, ille qui etiam sono pedum suorum voluit prodesse eis. Etenim sonus emissus est e gressibus eius quietis ut sono parati essent ad supplicandum illi qui sonum emisit. At, cum neque eius cunctatione, neque sono praemisso adducerentur ut se orantes ostenderent ei, Deus usus est, praeter sonum gressuum suorum, labiorum suorum etiam voce, dixitque : *Ubi es, Adam?* Adam autem, qui culpam suam confiteri debuisset et petere misericordiam priusquam lata esset in se sententia, *dixit : Vocem tuam audivi in paradiso et timui quia me esse nudum vidi et abscondi me* [21]. Pedum autem sonitus veniens ante Deum qui apparebat ut castigaret Adamitas, figura fuit vocis Iohannis qui venturus erat ante Filium : *tenet ventilabrum in manibus suis et mundat aream suam; paleam comburet in igne, frumenta autem mundabit ut introducat in horreum suum* [22].

[**25**] *Vocem tuam audivi et abscondi me.* Utinam vocem eius audisses ac si nunc. Quia, ecce, dum fingebat te et introducebat te in paradisum, et dum immittebat in te soporem et evellebat costam tuam constituebatque et adducebat ad te mulierem, vocem eius nonne audisti? Si vocem eius nempe noviter audisti, intellige, vel nunc

20 *Gen.*, III, 8. 21 *Gen.*, III, 9-10. 22 Cfr *Matth.*, III, 12; *Luc.*, III, 17.

hanc gressuum vocem assumtam propter deprecationem labiorum tuorum. Dic nempe illi, antequam interroget te de adventu serpentis et de transgressione tua et Evae, quia forte haec confessio labiorum vestrorum mundabit vos a peccatis quae fructus carpendo digiti vestri (commiserunt). Neglexerunt autem confiteri id quod fecerunt, et ea quae sibi facta sunt ei qui scit omnia dixerunt.

[**26**] *Ubi es, Adam?* In divinitate quam pollicitus est tibi serpens, * aut subiectus morti quam in te pronuntiavi si ad fructus respiceres? * p. 41 Cogita, o Adam, si vice serpentis omnium vilissimi qui ad te venit, angelus aut Deus alter ad te venisset, num oportebat te despicere mandatum illius qui haec omnia dederat tibi et audire pollicitationes istius qui hucusque bonum reapse nullum fecerat tibi? Malum arbitraris eum qui finxerat te de nihilo feceratque te deum secundum super creationem? Bonumque arbitraris istum qui tantum promiserat bonum verbum tibi?

Et si in virtute venisset ad te Deus alter, promissioni eius non erat assentiendum, quanto magis si serpens venit ad te, sine viribus neque prodigiis. Et verbo nudo quod dixit tibi, Deum tuum mendacem fecisti, veracem autem deceptorem tuum. Mendacem fecisti benefacientem tibi, qui te fecit dominatorem universi; veracem autem fecisti dolosum qui dolis suis dominationem tuam universalem eripuit.

Si autem impeditus fuisset serpens quin veniret Adam tentatum, illi qui hodie conqueruntur de adventu eius, ipsi conquesti essent eum impeditum esse quin (serpens) veniret. Dicerent enim serpentem ex invidia vetitum esse venire, ne tentatione momentaria, vitam aeternam acquireret (Adam). Qui autem dicunt : Quia si serpens non venisset, Adam non erravisset, hi ipsi dicerent : Quia etiamsi venisset serpens non peccasset Adam. Sicut autem arbitrantur se bene facere ii qui dicunt : Si serpens non venisset, Adamitae non erravissent, tum magis arbitrarentur se optime agere quando dicerent : Si venisset serpens ad Adamitas, non seduxisset eos. Quis enim crederet, nisi quia hoc eventum est, futurum esse ut Adam serpenti oboediret, aut Eva reptili assensum daret?

[**27**] Vocem tuam audivi et timui et abscondi me, ait, negligens quod quaerebatur et vice illius dicens quod non quaerebatur. Etenim qui debuerat confiteri id quod fecerat, quod illi profuisset, narrat quod in se factum est, quod illi non prodest. * *Dixit illi D*

Quis indicavit tibi quod esses nudus? Ecce de arbore de qua praeceperam tibi ne comederes, comedisti [23]. Nuditatem tuam vidisti hac visione quam dedit tibi arbor, illa nimirum qua gloriosam divinitatis speciem promiserat tibi (serpens).

Rursus Adam neglexit confiteri culpam suam et mulierem sibi similem accusabat : *Mulier quam dedisti mecum, illa dedit mihi et comedi* [24]. Non ego, ait, ad arborem accessi, nec mea manus ausa est se extendere ad fructum. Propterea etiam Apostolus dixit : *Ipse Adam non peccavit sed Eva fregit mandatum* [25]. Et si dedit tibi (Deus) mulierem, o Adam, auxiliatricem dedit eam non autem noxiam, et cui imperetur, non autem quae imperet.

[**28**] Nolente autem Adam confiteri culpam suam, descendit Deus ad Evam interrogandam dixitque illi : *Quare hoc fecisti?* Eva etiam quae supplicare debuisset lacrimis suis, assumens in se culpam, si forte misericordia veniret in se et in virum, num respondit et dixit : Serpens promisit mihi, aut : blanditus est mihi? (Minime), sed aperte dixit : *Serpens decepit me et comedi* [26].

[**29**] Postquam autem interrogati sunt ambo et inventi sunt privati a contritione et ab excusatione vera, descendit Deus ad serpentem, non interrogans sed sententiam ferens. Ubi enim locus erat paenitentiae, interrogatione usus erat Deus et erga istum a paenitentia alienum usus est damnatione. Et, ut scias serpentem non posse paenitere, Deo dicenti illi : *Quia hoc fecisti maledictus eris prae omnibus animalibus* [27], non dixit se non fecisse, quia mentiri timebat, neque dixit se fecisse, quia alienus erat a paenitentia.

Maledictus eris prae omnibus animalibus, quia decepisti dominatores omnium animalium. Et qui eras omnibus animalibus prudentior, *eris maledictus prae omnibus animalibus et super ventrem* * p. 43 *tuum ambulabis,* * quia per te dolores partus introierunt in genus mulierum. *Et terram comedes omnibus diebus vitae tuae,* quia privasti Adamitas ab esu de arbore vitae. *Et inimicitiam ponam inter te et mulierem et inter semen tuum et semen illius,* quia amore tuo fallaci decepisti eam mortique subiecisti illam cum generationibus suis.

Designat autem inimicitiam positam inter serpentem et mulierem et inter semen eius et semen illius dixitque : *Ipsum conteret caput*

[23] *Gen.*, III, 11. [24] *Gen.*, III, 12. [25] 1 *Tim.*, III, 14. [26] *Gen.* III, 13.
[27] *Gen.*, III, 14-15.

tuum qui voluisti e servitute seminis eius evadere. *Et tu feries illud,* non in auditum, sed *in calcaneum.*

[**30**] Etsi autem sententia in serpentem iuste lata fuit, — unde enim fuit initium culpae inde etiam damnatio ruit, — attamen ea tantum fuit (causa) cur inceperit (Deus) ab hoc vilissimo num, postquam iustitia placaverit iram suam in istum, forte timerent Adamitae paenitentiamque agerent, fieretque locus gratiae ad parcendum illis (liberandumque) a maledictionibus iustitiae. Maledicto autem serpente Adamitisque non rogantibus, venit (Deus) ad poenam inferendam. Ad Evam venit quia per eam etiam traductum est ad Adam peccatum.

Statuit igitur in Evam dicens : *Multiplicans multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos et in doloribus paries filios* [28]. Etsi igitur paritura fuisset propter benedictionem partus quam cum omnibus animalibus acceperat, attamen non multos partus habuisset, quia immortales fuissent illi quos paritura fuisset. Exempta fuisset a doloribus partus eorum et a contumelia educationum eorum et a gemitibus ob mortem eorum. *Et ad virum tuum converteris,* ad consilium accipiendum, non autem ad dandum. *Et ipse dominabitur tui,* quia sperasti esu fructus te dominaturam esse exinde eius.

[**31**] Postquam statuit etiam in Evam et, in Adam paenitentia non oriente, ad illum quoque versus est ad sententiam ferendam dixitque : *Quia audisti vocem uxoris tuae, et* seductus *manducasti de arbore de qua dixeram tibi ne comederes, maledicta erit terra propter te* [29]. Etsi autem * terra non peccans, vice Adam peccantis * p. 44 caesa fuit, tamen Adam passibilem pati facit (Deus) maledictione rei impassibilis : in ea enim, quia maledicta est, maledictus est ille qui non fuerat maledictus.

Non autem evasit e sententia maledictionis in terram lata, quia etiam in eum statuit (Deus, dicens : *In doloribus manducabis (ex) ea, omnibus diebus vitae tuae,* post mandatum (non servatum). Illa, (de) qua sine dolore manducasses mandatum servando, *spinas et tribulos germinabit tibi,* post peccatum, quae germina si peccatum non fuisset, illa non protulisset. *Comedes herbam agri,* quia propter paucas blanditias uxoris tuae, despexisti fructus desiderabiles paradisi. *Et in sudore vultus tui vesceris pane,* quia non placuit tibi sine labore frui deliciis in horto.

[28] *Gen.*, III, 16. [29] *Gen.*, III, 17-19.

Haec autem fient tibi *donec revertaris in terram de qua sumptus es,* quia despexisti mandatum momentaneum, quod dedisset tibi vitam aeternam per fructum arboris vitae quem edere tibi licuisset. Et quia *de terra es* et oblitus es tui ipsius *in terram tuam reverteris* et disces per vilitatem tuam ⌜quid revera sis[30].

[32] Satanas etiam, qui per sex dies una cum abysso[31], in qua creatus est, — ille qui usque ad sextum diem pulcher erat, sicut Adam et Eva qui usque ad tempus transgressionis mandati pulchri erant, — Satanas nempe qui hoc die secreto factus est satanas, eo ipso die secreto etiam iudicatus est et damnatus. Noluit enim (Deus) notum facere iudicium eius coram illis qui non animadverterant tentationem ab eo. *Serpens est enim,* non autem Satanas, dixit mulier, *qui decepit me.*

Iudicatus est igitur secreto et damnati sunt cum eo omnes exercitus eius. Etenim, cum peccatum quidem magnum esset et unusquisque eorum ex sese impar esset poenae, (ideo), sicut sanciti sunt dolores partus in Evam filiasque eius, et sicut sancitae sunt aerumnae et mors in Adam et filios eius, et sicut sancitum est in
* p. 45 serpentem ut conculcaretur ipse cum omni * sobole eius, ita sancitum est in illum qui erat in serpente ut iret in ignem cum omnibus exercitibus suis. Dominus enim noster per testamentum novum, hoc quod in antiquo testamento occultum erat manifestavit dixitque : *De iudicio eius,* inquit, *quia principis mundi huius est iudicium, id* est damnatur[32].

[33] Postquam locutus est de damnatione quam acceperunt tentatores et tentati, scribit : *Fecit Dominus Adae et uxori eius tunicas pelliceas et induit eos.* Hae autem tunicae, sive ex pellibus animalium sunt, sive creatae sunt sicut spinae et tribuli quae creata sunt postquam completa sunt opera. Quia dictum est *Fecit Dominus... et induit eos*; verisimile est illos manus suas ponentes super folia animadvertisse se esse pelliceis tunicis indutos. Numquid coram ipsos occisa sunt animalia quorum carne vescerentur et pellibus pudicam redderent nuditatem suam, ac in quorum morte viderent mortem corporis sui?

[34] His autem completis, dixit : *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, cognoscens bonum et malum.* Eo autem quod dixit :

30 Litt. : *Personalitem tuam.* 31 Litt. : *In sinu,* id est : inter caelum et terram. 32 *Ioh.,* XVI, 11.

Factus est sicut unus ex nobis, etsi in mysterio revelabat Trinitatem, (Deus) tamen ridebat Adam cui dictum erat : *Eritis sicut Deus scientes bonum et malum.*

Utique (verum est) Adamitas illa duo cognovisse e comestione fructus; etenim, ante fructum, opere bonum tantum percipiebant et de malo mediante bono audiebant; postquam autem comederunt, facta est mutatio, ita ut rumoribus audirent de bono, opere autem malum gustarent : recessit enim ab eis gloria qua induti erant et dominatae sunt in eis aerumnae quae antea recedebant ab eis.

[35] *Et nunc ne forte extendat manum suam et sumat de arbore vitae et comedat et vivat in aeternum...* Etenim, si de illa * (arbore), * p. 46 cuius esus vetitus erat sibi, ausus est edere, quanto magis ad arborem hanc, quae non vetita est ei, curret? Verumtamen, quia edictum est in illos ut essent in labore et sudore et aerumnis ac doloribus, ne forte edentes ex hac arbore, in aeternum viverent permanerentque in vita hac aerumnosa in aeternum, (Deus) prohibuit eos maledicto indutos ab esu de illa (arbore), quam maledicto exemptis gloriaque indutis dare intendebat.

Ne igitur donum illud vivificans fieret in aerumnam, et peius fieret eis hoc quod accepissent ex arbore vitae quam id quod ex arbore scientiae acquisierant, — ex illa enim aerumnas temporales acquisierant, haec autem aerumnas temporales eis faceret aeternas; ex illa subiecti sunt morti quae solvit vincula aerumnarum suarum, haec autem fecisset eos in vita sua sepultos, quia in aeternum aerumnis suis cruciatos fecisset eos; — arcet eos igitur ab arbore vitae, quia vita ne deliciis abundans quidem in terra maledictionum danda erat, neque vita aeterna in mundo transeunti invenienda.

Caeterum si comedissent, alterutrum factum esset : aut mortis sententia mendax facta esset, aut arboris vitae virtus vivificans mendacii convicta fuisset. Ne igitur sententia mortis irrita facta esset, nec arboris vitae virtus vivificans mendacio affecta, (Deus) arcet exinde Adam, ne forte etiam ex arbore vitae pateretur detrimentum, quemadmodum ex arbore scientiae laesus est : *Mittit illum scilicet ut operaretur terram, unde sumptus est*[33], ut rursus beneficium accipiat ex terrae labore ille qui detrimentum acceperat ex horti quiete.

33 *Gen.,* III, 23.

[36] De exitu autem e paradiso scriptum est : *Circumire fecit (Deus) ad orientem paradisi Eden Cherubim mucronemque gladii versatilis, ad custodiendam viam arboris vitae* [34]. Saeptum eius vivens erat, quia a seipso circuibat ad custodiendam viam arboris vitae a
* p. 47 quocumque audacter pomum eius decerpere volente. * Occidisset enim mucrone gladii sui quemcumque mortalem qui iret ad immortalem vitam sibi arripiendam.

[SECTIO III]

[1] Et postquam dixit de exitu Adae ex horto et de Cherubim mucroneque gladii a quo saepiebatur paradisus, rursus scripsit de nativitate Cain et Abel atque de oblationibus eorum, sic dicens : *Cognovitque Adam Evam et peperit Cain et dixit : Virum obtinui*, non Adae qui cognovit eam, sed Domino, qui finxit eum in utero. *Rursusque peperit Abel, fuitque pastor ovium et Cain fuit agricola* [1]. *Factumque est post dies* educationis eorum, aut pastionis et agriculturae eorum, *attulit Cain de fructibus terrae suae oblationem Domino, et Abel attulit de primogenitis gregis sui et de pinguioribus eorum.*

[2] Attulit autem Abel cum delectu, Cain autem sine delectu. Abel elegit et attulit de primogenitis et de pinguioribus; Cain autem si spicas attulisset, et si cum spicis fructus inventos tempore spicarum attulisset, etiam si minor fuisset oblatio eius quam fratris sui, si non cum negligentia attulisset eam, sicut oblatio fratris sui accepta fuisset, quia laete obtulissent : unus ex agnis gregis sui et alter ex fructibus terrae suae obtulissent. Quia despectam habuit Cain primam oblationem a se oblatam, noluit (Deus) accipere illam ab eo, ut doceret eum quomodo offerenda esset. Tauros enim et vitulos habebat Cain, nec deerant ei animalia et volatilia quae offerret; sed haec non obtulit die primitiarum, quo offerebat proventus terrae suae.

Quidnam certe detrimenti fuisset ei si spicas bonas obtulisset, vel si de optimis fructibus arborum delegisset? Hoc nempe non fecit, quamvis facile esset, minime quidem quasi sollicitus esset
* p. 48 de spicis aut bonis fructibus, (sed) in conscientia offerentis * non

34 *Gen.*, III, 24.
1 *Gen.*, IV, 1-4.

erat gratas faciens oblationes amor; et quia despiciens obtulit, reiecit eum Deus, ne crederet Cain Deum sive nescivisse despectum eius sive oblationes diligere non autem offerentes.

[3] Reicit igitur Deus oblationem eius propter id quod fecerat et propter id quod facturus erat : erga parentes enim malus erat et erga fratrem acerbus erat Deique cultum neglegens. Accepta est igitur oblatio Abel propter delectum Abel, reiectaque est etiam oblatio Cain propter despectum eius.

Aegre autem tulit Cain non quod reiectum esset sacrificium suum, — poterat enim oblatione electa placare eum quem irritaverat vili oblatione, — sed ne eo quidem quod ipse reiectus est *contristatus est vultus eius;* facile enim erat ei petitionem offerre; etenim, sive accepta fuisset oblatio electa quam obtulisset sive non accepta fuisset, ipse tamen significasset voluntatem suam; rursusque, sive audivisset Deus sive non audivisset petitionem eius, tamen vidisset deprecationem eius. Quia autem neque oblationem electam obtulit, vice illius quae vilis oblata reiecta est, neque petitionem obtulit pro despectu quem Deo fecit, notum factum est quare irasceretur : quia acceptum est sacrificium fratris sui iratus est. Iratus est nempe quia ignis descendens distinxit inter oblationes; *et contristatus est vultus eius*, quia factus est derisio ob oculos parentum suorum sororumque sacrificio suo despecto. Viderant enim oblationem eius positam in igne qui non attigit eam.

[4] *Dixit autem illi Deus : Quare iratus es et contristatus est vultus tuus* [2]? Vice irae enim qua impletus es, dolore deberes esse plenus; et vice maeroris in vultu tuo lacrimas ex oculis tuis effundere deberes. *Verumtamen autem si bonum faceres, acciperem.* Considera nempe : non parvitas oblationis eius causa fuit cur repulsus esset ille, sed propter deformitatem suam et improbitatem non acceptus est.

Si bonum faceres, ait, acciperem ego, etiam si non accepi (prius); et cum * oblatione electa fratris tui acceptum esset, etiam si non acceptum est. *Et si bonum non egeris, peccatum ad fores prius, ecce, recumbit. Et ille,* Abel, *se convertet ad te* per oboedientiam eius, ambulando tecum ad agrum; *et in te dominabitur ipsum* peccatum, id est consummatus eris in illo. Cain autem, vice honestae vitae ut *

2 *Gen.*, IV, 5-7.

annumeraretur cum acceptis oblatio sua despecta, etiam sacrificii (loco) obtulit amplius caedem, illi (Deo) cui obtulerat oblationem contemptus.

[5] *Dixit Cain ad Abel : Eamus ad planitiem*[3]. Ex hoc autem quod dixit : *Eamus ad planitiem,* scimus illos aut incoluisse montem, devexum a paradiso, et Cain adducens eum descendit in planitiem; aut Abel pascebat gregem in monte, ad quem ascenderat Cain et deduxit eum in planitiem sibi accommodatam propter spicas eius et limum. Inter spicas enim occidit eum et facile in luto abscondit eum. Dixit enim : *Factum est cum essent in agro surrexit Cain adversus Abel fratrem suum et interfecit eum.*

Cain autem, occiso fratre suo mendaciis persuasit parentibus suis (Abel) intrasse in paradisum eo quod Deo placuit; et, ecce, testificatur introitum eius oblatio eius accepta; observatio enim mandati introducit in paradisum, quemadmodum vos inde deduxit mandati transgressio. Quando ratus est Cain se in errorem induxisse parentes suos nec vindicem habere Abel, revelatus est Deus coram Cain dixitque illi : *Ubi est frater tuus Abel*[4]*?*

[6] Revelatus est Deus coram eo cum benignitate ut, si paeniteret eum, deleretur paenitentia labiorum eius peccatum homicidii manibus perpetratum; si autem non paeniteret eum, ut inferretur in eum sententia poenae amarae malo scelere digna. Cain autem, vice paenitentiae furore aestuabat, et Deo scienti, qui interrogavit eum de fratre eius ut eum sibi acquireret, Cain respondit verbum iracundiae dicens : *Nescio. Numquid ego custos sum fratris mei?*

Rursus autem addidit Deus et dixit : *Quid fecisti?* Etenim, si nescis ubi sit Abel, quandoquidem non es custos eius, quid feceris
* p. 50 dic illi qui te interrogat, ne forte * de eo quod feceris alium interroget. Certe dic illi quid feceris, quia nisi sciens quid feceris non interrogasset de opere tuo. Cum autem noluisset Cain dicere ne illa quidem quae fecisset, manifestata est illi scientia Dei quae plane prodidit eum dicens : *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra.*

[7] Quid igitur dicis tu, Cain? Facietne Iustitia vindictam sanguinis clamantis ad se, annon? Nonne, ecce, longius (tempus) dedit tibi ad paenitendum? Nonne scientiam suam repudiavit et interrogavit te quasi nesciens, ut confitereris? Exinde, quia non tibi placuit

[3] *Gen.*, IV, 8. [4] *Gen.*, IV, 9.

honeste agere sicut dixit tibi sed ad peccatum venisti a quo praemonuerat tibi ne ad illud accederes, *maledictus eris ab universa terra* eo quod angore affecisti Adam et Evam, parentes universae terrae. *Maledictus eris super faciem universae terrae,* eo quod aperuisti fores Inferni coram universa terra. *Cum colueris terram non amplius dabit tibi robur suum,* eo quod voluisti solus edere robur eius. *Tremens et fugiens eris super eam*[5], eo quod alte et superbe ambulasti super eam.

[8] Quia autem eo ipso tempore maledictionum perfectus est in eo effectus maledictionum, iste qui ante maledictiones, superbia motus dicebat : *Numquid ego custos sum fratris mei,* post maledictiones, statim ac coartata est procacitas eius timore et tremore in eum irruentibus, dixit : *Maius est scelus meum quam ut dimittatur.* Non autem hoc acceptatum est ei in paenitentiam, quia non eo tempore quo interrogatus est dixerat illud; etenim dixerat illud quasi coactus qui post tremorem et pavorem dixerat illud.

Cain autem qui debuisset rogare longanimitatem Dei ut forte deprecatione Iustititam suaderet, ex trepidatione aut versutia sua dixit : *Ecce, eiecisti me a facie terrae,* eo quod maledixisti mihi a facie terrae *et exinde a facie tua abscondar,* quia amplius non est mihi supercilium ut stem coram te, eo quod blateravi coram te et dixi me non esse custodem fratris mei; et mihi, qui iam *factus sum vagus et profugus in terra,* eveniet *ut quisquis invenerit me occidat*
me[6]. O Cain, sive * mortem petis, sive mortem times, quomodo pos- * p. 51
sunt perfici in te ea quae sancita sunt, te moriente? Nam, si tibi inter has miserias dilecta est vita, Abel ab eis exempto quanto magis dilecta erat?

Etsi quidam autem dicunt (Cain) recusavisse mortem, alii tamen ipsum sibi mortem petiisse asserunt, et illam ob causam dixisse ei Deum : *Non sic fiet sicut dixi* de occisoribus venientibus post te. Si enim occisores post te venientes statim ac invenientur morientur, at *Cain in septuplum punietur.* Etenim, quia petiit mortem ne homines spernerent casum eius, septem generationes venient et videbunt casum eius, et tunc morietur.

[9] Hoc autem, quod dicunt : Septem generationes e stirpe eius mortuae sunt cum illo, stare non potest; etenim, etiamsi datur dilu-

[5] *Gen.*, IV, 10-12. [6] *Gen.*, IV, 13-14.

vium attigisse eos, septimam generationem attingebat, et una generatione pereunte cum eo, quomodo diceretur septem generationes cum eo periisse? Sed nec etiam demonstrare possunt (tempore) septimae generationis Cainitarum fuisse diluvium.

Scriptura enim dixit : Cain genuit Henoch et Henoch genuit Edar, et Edar genuit Mahauiel et Mahauiel genuit Matusael, et Matusael genuit Lamech et Lamech genuit Iubel; *ille fuit pater habitantium in tentoriis et pecora possidentium* [7]. Habitantes autem in tentoriis possidentesque pecora virginitatem non servabant in tentoriis suis, dicente Scriptura : *Corrupit omnis caro viam suam* [8].

Si autem inveniuntur novem generationes a Cain ad filios habitantium illorum in tentoriis suis possidentiumque pecora, et hucusque non fuit diluvium, quomodo assentiemur (dicto) illi septem generationes periisse cum eo? Quia ecce, novem generationes invenimus transiisse, ut diximus, — et hucusque diluvium non fuisse. Recte igitur super septem generationes extensa dicitur infamia Cain, qui a primo die petierat ut per mortem ab infamia liberaretur.

* p. 52 * Substitisse autem Cain usque ad septimam generationem, patet : primo, quia sic sancitum est in eum; et secundo, quia sic etiam testatur (numerus) annorum vitae generationum priorum. Si enim Adam, pater eius, usque ad generationem nonam Lamech substitit et si anno quinquagesimo sexto Lamech e mundo excessit, non magnum fuit si Cain usque ad generationem septimam superstes fuit.

[**10**] Eo quod petivit Cain ut ab infamia liberaretur, infamiam secundum petitionem suam non evasit, et signum quod non exspectabat additum est ei amplius ad poenam priorem. Dictum est enim : *Posuit Dominus signum in Cain ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum* [9]. Invenientes autem eum filii Seth fuerunt, qui vindictam sanguinis Abel patrui sui coacti erant quaerere. Sed secesserunt ab eo, nec inierunt connubia cum eo propter infamiam eius et timorem eius; sed non ausi sunt eum occidere propter signum eius.

[**11**] Postquam accepit Cain poenam suam cui addictum est signum, — de cuius causa quia necesse erat diximus, et de quo, quia non necesse est, non dicemus, — dictum est : *Egressus est,*

7 *Gen.*, IV, 20. 8 *Gen.*, VI, 12. 9 *Gen.*, IV, 15.

Cain a facie Domini habitavitque in terra Nud, am oriente Eden. Secessit igitur a parentibus fratribusque suis, quia vidit eos connubia secum non inire. Terra autem Nud dicitur quia terra fuit Cain timentis et trementis *(nida)*. Sed alteram maledictionem accepit verbo quod dixit Deus : *Cum colueris terram non amplius tibi dabit robur suum* [10].

[SECTIO IV]

[**1**] Postquam autem *cognovit* (Cain) *uxorem suam, et concepit et genuit Henoch, aedificavit civitatem et nomen eius voçavit ex nomine filii sui, Henoch.* Et fecit hoc, ne civitas illa etiam ex nomine tremoris *(nuda)* sui nominaretur, id est civitas Nud. Et (dictum est) : *Ex Henoch genitus est Edar et Edar genuit Mahauiel et Mahauiel genuit Matusael et Matusael genuit Lamech. Duxitque Lamech duas uxores; genuit ex Ada Iubel,* * *qui fuit pater habitantium in tentoriis et possidentium pecora; et nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater omnis tenentis citharam et fides. Genuitque Sella Tubalcain fabrum cuiusque operis aeris et ferri. Sororque Tubalcain fuit Noema* [1]. * p. 53

Dixitque Lamech uxoribus suis : Audite vocem meam quia virum occidi pro vulneribus meis et puerum pro ictibus meis. Quia septies punietur de Cain, et de Lamech septuagies septies [2].

[**2**] Quidam autem de verbis Lamech ad uxores suas dicit : Et uxores eius e filiabus Seth fuisse et adhortatas esse eum ut bene se gereret; dixitque eis : Quidnam odiosi vidistis in me et simile illi quod (fecit) pater meus Cain? Nam, *virumne occidi pro vulneribus meis,* ut Cain? Aut, sicut colaphos intulit Abel, velut puero et tunc occidit eum, *num ego etiam occidi puerum ictibus meis?* Si ita feci sicut Cain, septuplam retributionem accepit Cain, ego vero in meipsum sententiam fero, septuagies septies accipiam.

Alii autem, per septem generationes punitum esse Cain opinantes, dicunt Lamech [3] impium fuisse, eo quod dixit Deus : *Corrupit omnis caro viam suam* [4]; et quia viderunt uxores eius interruptam esse generationis suae successionem, eo quod generabant non masculos,

10 *Gen.*, IV, 12 ss.

1 *Gen.*, IV, 17-22. 2 *Gen.*, IV, 23-24. 3 Ms. *Henoch* menda. VI, 12.

sed feminas, — dictum est enim : *Factum est, quando multiplicati sunt homines super terram et filiae natae sunt eis* [5], — videntes nempe generationem suam desistentem, timuerunt quia intellexerunt iam advenisse (tempus) poenae quae sancita est in Cain et in septem generationes eius. Incitat eas autem (Lamech) dolo suo dicens : *Virum occidi vulneribus meis et puerum pro ictibus meis.* Sicut cunctatus est autem Deus ad Cain ut perderentur cum eo septem generationes eius, quoad me qui duos occidi, septuaginta et septem generationes cunctabitur ut perdantur mecum. Priusquam autem venient septuaginta septem generationes moriemur nos et per calicem mortis, quem gustabimus, liberabimur a poena quae mei causa, ecce, extensa est in septuaginta septem generationes.

* p. 54 [**3**] Alii dicunt : Quia dolosus erat Lamech et astutus * et viderat generationem suam desistentem et familiam Seth nolentem cum eis coniungi propter infamiam patris sui, Cain, perstantem; ne incultae manerent terrae ex defectu agricolarum neve evanesceret generatio eorum, zelo concitatus occidit Cain et unum filium eius, quem generavit sibi similem, ne, propter hunc ei similem, fieret denuo in generationibus suis permanens infamiae eius memoria.

Occiso autem Cain, qui velut murus medius erat inter duas prosapias positus, quin ad invicem roborarentur [6], dixit uxoribus suis quasi secreto : Vir et puer, ecce, occisi sunt; sed capite ornamenta filiarum vestrarum filiis Seth, qui propter caedes quas feci et propter ornamentum pulchritudinemque filiarum vestrarum consentient connubia inire nobiscum aetate nostra, illi qui per sex generationes praeteritas nobiscum coniungi connubio noluerunt.

Ornatis igitur filiabus earum propter filios Seth, Iubel provocavit eos voluptatibus carnis animalium et Iubal captivavit eos cantibus suavibus cithararum. Exaltati sunt filii Seth et propterea obliti sunt pactum optimum quod pater eorum spoponderat. Et descenderunt de loco suo eminentiore quam Cainitarum; et fraudibus commiscuit Lamech familias : Ita ut, inquit, quando miserebitur posteritatis Seth nobiscum coniunctae, Deus qui non perdit eos faciat nobis etiam misericordiam et poenam occisionis effugiamus, propter eos qui nobiscum connubio coniuncti non occiderunt.

[5] *Gen.*, VI, 1. [6] Forsan : *ne in connubio ingererentur*, ut infra.

[SECTIO V]

[**1**] Rursus autem, cum percurrisset Scriptura genealogiam Cainitarum perfecissetque historiam verborum Lamech ad uxores suas, denuo scripsit generationes gentis Seth incipiens ab Adam et dixit : *Vixit Adam centum triginta annis et genuit ad similitudinem suam secundum imaginem suam* [1]. In Seth autem, qui omnino similis fuit Adae, similitudo Filii figurata est qui signatus est a Patre, suo genitore, sicut Seth ab Adam qui progenuit eum. Cum autem Seth genuisset Enos, scriptum est : *Tunc incepit invocare* * *nomen* * p. 55 *Domini* [2]. Seth enim, quia secesserat a filiis Cain, vocati sunt (posteri eius) nomine Domini, id est : *Populus iustus Domini.*

[**2**] Postquam autem genuit Adam Seth, et Seth Enos, et Enos Cainan et Cainan Mahlaleel, et Mahlaleel Iared et Iared Henoch, scriptum est de Henoch : *Placuit Deo et non fuit* [3]. Dicitur in paradisum translatum esse, in eum spectante Adam ne forte crederet illum sicut Abel occisum esse et angustiaretur; ut consolatio etiam fieret ei filius iustus quem habebat qui sciret omnes hunc imitantes, sive ante mortem sive post resurrectionem, locum illic habituros esse conventus sui.

Rursus Henoch genuit Matusalah, et Matusalah genuit Lamech et Lamech genuit Noe. Prophetavitque Lamech de filio suo, *dicens : Hic consolabitur nos* [4], per oblationem suam placantem Deum, *ab operibus nostris et a labore manuum nostrarum et a terra cui maledixit Dominus*, quoniam, propter peccatum habitantium in ea, aedificia quae fecimus et plantas quibus laboraverunt manus nostrae, in aquis iracundiae perdet (Deus).

[SECTIO VI]

[**1**] Postquam computavit ab Adam et ad Noe, decem generationes, dicit de Noe : *Cum quingentos annos esset natus, genuit Sem, et Cham* (litt. Heim) *et Iaphet* [1]. Hoc toto intervallo Noe fuit eis spectaculum decore morum suorum, quia per quingentos annos servavit virginitatem, inter eos de quibus dicitur : *Corrupit omnis caro viam suam* [2].

[1] *Gen.*, V, 3. [2] *Gen.*, IV, 26. [3] *Gen.*, V, 24. [4] *Gen.*, V, 29.
[1] *Gen.*, V, 32. [2] *Gen.*, VI, 12.

[2] Postquam dixit de morum honestate Noe, se vertit ad enarrandum concupiscentiam malam, quae in coaetaneis eius navabat operam, sic dicens : *Factum est autem cum multiplicarentur filii hominum et filiae natae sunt eis...* Filios autem hominum stirpem Cain vocat et filias quae eis natae sunt, ad ostendendum interruptam esse successionem generationum eorum, sicut supra diximus.

[3] *Videruntque filii deorum filias hominum esse pulchras et* * p. 56 *duxerunt sibi * uxores ex omnibus quas elegerunt* [3] ... Filios deorum, rursus filios Seth vocavit, quippe qui filii Seth iusti populus Dei vocabantur. Filias autem hominum, quas pulchras viderunt, filiae sunt Cain quae ornatae sunt et factae sunt laqueus oculis filiorum Seth. Dictumque : *Duxerunt sibi ex omnibus quas elegerunt,* eo quod cum ducebant eas iactabant se superbe in eis, eligentes eas. Pauper enim de quadam locuplete superbiebat, senexque in iuniorem arroganter se gerebat et turpissimus omnium in quamcumque omnium formosissimam se efferebat.

Non habebant curam Cainitae de opibus et aspectu, quia illi, qui erant agricolae, quaerebant terras haud consitas. Cum autem factum est initium huius negotii a libidinosis et pauperibus, — libidinosi enim ad pulchritudinem adducebantur, pauperesque ad divitias alliciebantur, — conturbata est post illos universa gens filiorum Seth.

Etenim filii Seth ad filias Cain accedentes, neglexerunt uxores suas quas prius duxerant sibi; et istae etiam pro nihilo putarunt curam sui, et modestiam quam usque ad illud tempus propter viros suos et cum viris suis servabant virorum suorum causa, abicere festinarunt. Propter hanc luxuriam quae irrepsit in viros et uxores illorum, dixit Scriptura : *Corrupit omnis caro viam suam.*

[4] *Dixitque Dominus : Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est; eruntque dies illius centum et viginti annorum* [4]. Non vivet, ait, generatio haec nongentos annos, sicut vivebant generationes illi anteriores, *quia caro est*; et operibus carnis consumit dies suos; *sed dies eius erunt centum et viginti annorum*; quia, si paenituissent in illis (annis), ecce servati essent ab ira quae ventura erat in illos; et si non paenituerint, ipsi operibus suis arcessent eam in seipsos. Ad paenitentiam enim (faciendam) gratia dedit eis centum et viginti annos, generationi illi quae ex iustitia paenitentiam non merebatur.

[3] *Gen.*, VI, 1-2. [4] *Gen.*, VI, 3.

* [5] Postea scripsit de prole quae fuit filiabus Cain ex filiis * p. 57
Seth, sic dicens : *Fuerunt gigantes in diebus illis, etiam postea, quia ingressi sunt iudices ad filias hominum et pepererunt eis gigantes a saeculo, gigantes famosos* [5]. Gigantes autem qui nati sunt, stirpi pusillae Cainitarum nati sunt, non autem familiae validae Seth. Cainitis enim quia maledicta erat terra ne daret eis opem suam, proventus paucos vigore destitutos dabat, sicut hodie etiam inter semina fructusque et herbas, sunt quae vigorem dant quaedam autem non dant. Quia nempe, in illo tempore, quippe qui maledicti filiique maledictorum habitantes in terra maledictionum, proventus destitutos vigore colligentes et edentes, sine vigore facti sunt qui edebant sicut ea quae edebant alimenta. Filii Seth autem quia (patris) benedicti erant filii et terram iuxta saeptum paradisi habitabant, sicut proventus (terrae) eorum abundantes et fortes quos edebant, ita fortia validaque facta sunt corpora eorum. Illi certe robusti ingressi sunt filii Seth ad filias Cain tremebundi et pro Cainitis pepererunt gigantes famosos. Illud autem : *a saeculo,* dicitur quia aequales Seth et Enos, gigantibus prioribus et famosis, ita nati sunt Cainitis.

[6] Postquam narratum est de gigantibus, apud stirpem Cain natis, quamvis pulchrae essent uxores eorum sed brevioris fuisse staturae filiis Seth, rursus dictum est : *Vidit Dominus quod multiplicata est malitia hominis in terra et cuncta propensio consilii cordis eius peior fit quotidie* [5]. Annis autem qui ad paenitentiam dati erant, illi peccata sua multiplicaverunt : *multiplicata est malitia hominis in terra,* id est, se extendit et crevit malitia per totas ambas stirpes. *Propensio autem consilii cordis eius peior fit quotidie,* propterea quod non erant peccata singulis diebus perpetrata; quae peccata erant continua cuiuscumque horae, noctu diuque a consilio suo malo nullo modo recedebant.

Quia autem tam inique agebant, *dixit Dominus : Delebo* * p. 58
* [7] *(omnia), ab homine usque ad pecora serpentesque ac volatilia, quia paenituit me fecisse eos* [6]. Paenituisse autem (dicitur Dominus), non quasi ignorasset ad hoc venturos fuisse (homines); impietatem eorum magnam voluit revelare generationibus venturis; quia tanta

[5] *Gen.*, VI, 5. [6] *Gen.*, VI, 7.

fuit lascivia eorum ut Deus, qui non paenitet, ad paenitentiam adduxissent eum.

Rursusque excusationem attulit iustitiae suae, quia non immerito diluvio submergit eos. Descendit enim Natura quae non paenitet ad dicendum : Me paenitet, ita ut audiens generatio rebellis commoveretur et paenitentia seminaretur in illis quorum cor obstabat paenitentiae.

Si autem macula fuisset in operibus Dei, creationem novam creasset, opus quod paenituisset se fecisse, non servasset in arca. Considera enim : in hoc ipso quod dixit : Me paenituit, ostendit se non paenituisse. Si enim peccatorum causa paenituit, pecorum reptiliumque ac volatilium (creationis), quae non peccaverunt, cuius rei paenituit? et si (creationis) illorum non paenituit, quare dixit : Me paenituit, non paenitens? Paenitentia quae extensa est, praevaricatorum causa, ad eos qui non praevaricati sunt, ipsa est excusatio Dei dicentis : Me paenituit, quia ex amore ipsorum peccatorum pereuntium eum dixisse, non autem ex ignorantia, proclamat. Illos enim perire operibus suis, luctus erat bonitati (Dei) quae fecerat eos; sed illis non pereuntibus, destructae fuissent propter eos generationes quae sequebantur eos.

[8] Cum autem, neque aerumnis vitae suae, neque (Deo) dicente: Me paenituit, commoti essent paenitentiamque fecissent, iterum *dixit (Deus) ad Noe, quia finis universae carnis venit coram me ..., fac tibi arcam de ligno cedri ... trecentorum cubitorum (erit) longitudo eius et latitudo eius quinquaginta cubitorum, et altitudo eius triginta cubitorum ..., et cubito uno consumma eam desursum, et trium contignationum facies eam, et linies eam bitumine extrinsecus*[7]. Ad hunc laborem difficilem, (Deus) adduxerat iustum, ne ad diluvium adduceret eos.

* p. 59 * Undenam nempe allaturus erat lignum cedri? Unde bitumen et ferrum cannabemque? Per quosnam fabros hoc compositurus erat? Unde operarios qui auxiliarentur arcessiturus erat? Etenim saeculo quo omnis caro corrupit viam suam, quisnam auditurus erat eum? Et si ipse et filii domus suae faciebant eam, quis omnium videns non subsannaret eam? Incepit autem (Noe) arcam anno primo eorum qui dati sunt ad paenitentiam, perfecitque eam anno centesimo.

7 *Gen.*, VI, 13-16.

[9] Cum autem factus esset illis (Noe) exemplum etiam innocentia sua, nuntiavit quoque eis iustitia sua diluvium per centum annos, nec paenituerunt. Dixit illis : Ex omni carne venient ut serventur mecum in arca, et deriserunt : Quomodo venient undecumque animalia volatiliaque, quae ubique dispersa sunt? *Dixitque illi iterum Dominus eius : Ingredere, tu et universa domus tua in arcam, quia te vidi iustum in generatione hac; et ex pecore mundo tolle tibi septem paria et de immundo pecore duo paria.* Munda autem mansueta vocavit, immundaque noxia. Etenim, etiam a principio munda (animalia) multiplicavit (Deus). Et ecce convincit visio illum quem verbum non convicerat. *Exhinc in septem dies adducam imbres super terram quadraginta diebus noctibusque, et delebo quodcumque feci*[8].

Hoc autem ipso die, elephantes ab oriente veniebant, simiaeque et pavones ab austro conveniebant; aliaque ab occidente congregabantur, sodalesque eorum a septentrione properantes veniebant. Leones e silvis veniebant feraeque carnivorae e speluncis suis conveniebant. Dorcades et onagri e desertis suis veniebant, et montium animalia e montibus suis congregabantur.

Filii autem illius generationis in spectaculum novum congregabantur, non autem ad paenitentiam sed ad oblectamentum : tunc enim coram se * (videbant) leones arcam ingredientes bovesque in vestigiis eorum, sine metu properantes, tectum quaerentes cum leonibus. Simul ingrediebantur lupi et agni, accipitresque et passeres cum columbis et aquilis. * p. 60

[10] Cum autem, neque concursus eorum uno (eodemque) tempore, neque amor inter ea factus in una hora, persuasissent filiis saeculi illius ut paenitentiam agerent, *dixit Dominus ad Noe : Exhinc, post septem dies delebo omnem carnem quam feci.*

Ille autem qui dedit eis centum annos ad paenitentiam faciendam, nec paenitere (inceperunt), congregavitque etiam animalia ab eis nondum visa, nec contriti sunt, et imposuit camum qui pacem (faceret) inter feras noxias et eas quae ab his laeduntur, et tamen non timuerunt; etiam post ingressum in arcam Noe et omnis carnis, longanimis fuit eis (Deus) : septem dies ianua arcae aperta est eis et, hoc est mirabile, neque leones silvarum suarum meminerunt,

8 *Gen.*, VII, 1-4.

nec ullum genus animalium aut volatilium mores suos desideravit; neque filii illius generationis haec videntes extra arcam et in arca, persuasum habuerunt ab operibus suis discedere.

Longanimitas autem centum et viginti annorum facta est eis, primo ut paenitentiam agerent, et (deinde) ut iustis permanentibus inter illos, corriperentur ab eis (quidem) et satietatem vitae suae haberent iusti; ne forte diceretur : Qui non peccaverunt, quare non dimisit eis? Cum autem expertus esset Deus generationem istam per centum annos, viginti annos subtraxit (eis); septem autem dies quos amplius dedit eis post ingressum animalium, pluris sunt propter signa sua annis viginti quos subtraxit eis.

[**11**] Si enim, cum signis septem dierum paenitentiam non egerunt, patet, quia illi neque etiam per viginti annos sine signis paenitentiam egissent. Pauciora igitur delicta dimisit eis quibus subtraxit viginti annos.

* p. 61 Propterea in fine septem dierum *anno sexcentesimo * vitae Noe mense secundo, die decimo septimo rupti sunt fontes abyssi magnae et cataractae caeli apertae sunt ... Clausitque Dominus (portam) a facie Noe,* ne venirent (impii) tempore inundationum frangerentque portam arcae. *Factumque est diluvium ... et consumpta est omnis caro ..., et superfuit Noe et qui cum eo (erant) in arca*[9].

Fontes autem abyssorum et cataractae caeli quadraginta dies et noctes apertae sunt et arca centum et quinquaginta dies fluctuavit.

[**12**] *Post autem centum et quinquaginta dies coeperunt aquae minui requievitque arca super montes Qardu ... Mense autem decimo apparuerunt cacumina montium ... Et anno sexcentesimo primo, primo (die) mensis primi, exsiccatae sunt aquae de terra ... Et mense secundo,* qui est Yar, *vigesimo septimo (die) mensis, exsiccata est terra*[10].

Noe nempe et qui cum eo (erant) trecentos et sexaginta quinque dies fuerunt in arca. A die enim decimo septimo mensis secundi, qui est Yar, et usque ad (diem) vigesimum septimum huiusce mensis, anni sequentis secundum computationem lunarem, trecenti et sexaginta quinque dies sunt.

Animadverte igitur quia etiam generatio Noe hac ipsa computatione trecentorum sexaginta quinque dierum anni utebantur. Et

[9] *Gen.*, VII, 11, 16-17. [10] *Gen.*, VIII, 3 ss.

quare dicis Chaldaeos Aegyptiosque ordinem eius composuisse et invenisse?

Dixitque Deus ad Noe : Egredere tu et uxor tua filiique tui et uxores filiorum tuorum[11]. Qui introduxit eos singillatim ut servarent sanctitatem in arca, eduxit eos coniunctim ut fecundi fierent multiplicarenturque in creatione. Etiam de animalibus, quae servarunt sanctitatem in arca, dictum est : *Omne animal quod est tecum, ex omni carne educ tecum generentque super terram et fecundi fiant multiplicenturque in ea*[12].

[**13**] Postquam autem *egressus est Noe et omne quod est cum eo ... accepit ex omni pecore mundo et holocaustum obtulit super altare*[13]. Oboediendo igitur oboedierunt ei omnia volatilia munda et animalia. Ubi egressus est Noe, aut eo die quo exierunt de arca, apprehendit ex omni * carne munda et obtulit sacrificium acceptum Deo et cessare fecit diluvium de terra. * p. 62

Odoratusque est Dominus, minime quidem odorem carnis animalium aut lignorum fumum, sed aspexit et vidit puritatem cordis (Noe) offerentis ex omnibus et pro omnibus sacrificium. *Et ait illi Dominus eius,* sicut volebat eum audire : Propter iustitiam tuam salvum factum est reliquium nec periit in diluvio, quod factum est; rursusque, propter sacrificium tuum ex omni carne et propter omnem carnem, *non adducam ultra diluvium super terram.* Prius enim sub promisso obstrinxit se (Deus), ne forte persequens cogitationem malam voluntatis nostrae quotidianae, denuo diluvium super filios hominum faceret.

Et, quia defuit hoc anno sementis ac messis, perturbataeque sunt etiam ordinationes eius, (Deus) restituit terrae quod in ira sua sustulerat ab ea, dixitque : *Exinde cunctis diebus terrae, sementis ac messis, frigus et aestus, aestas et hiems, dies et nox, non deficient a terra*[14]. Quadraginta enim dies imbris nox fuit et per totum annum, usque dum aresceret terra, hiems fuit super eos sine aestate.

[**14**] *Benedixitque (Deus) Noe et filios eius*[15], ut fecundi fierent et multiplicarentur, terrorque eorum caderet in omnem carnem, sive quae in mari, sive quae in sicco. *Tantum,* ait, *carnem in qua est anima eius, ne comederitis,* id est, carnem quae mactata non fuerit

[11] *Gen.*, VIII, 15 s. [12] *Gen.*, VIII, 17. [13] *Gen.*, VIII, 18-20. [14] *Gen.*, VIII, 22. [15] *Gen.*, IX, 1 ss.

et cuius sanguis, quae est anima eius, non effluxerit, ne comederitis. Tria enim foedera pepigit (Deus) cum Noe : Unum ne comederent sanguinem, unumque resurrectionis, quia requiret sanguinem eorum ab animalibus, et unum ut occisor occideretur.

[15] *Sanguinem vestrum,* inquit, *requiram ab omnibus animalibus et de manu hominis* [16], requiret eum hic etiam et in futurum : requiret enim hic per occisionem quam statuit in occisorem et per lapidationem qua lapidabatur bos cornupeta; et requiret in fine, ut restituant animalia, tempore resurrectionis, quodcumque ex corporibus humanis comederunt.

* p. 63 Et quod dixit : *De manu viri et fratris eius requiram animam * hominis,* sicut : Requiram ex Cain sanguinis Abel vindictam, id est : Qui effudit sanguinem hominis, sanguis eius ab homine effundetur. Et dictum : *Ad imaginem Dei fecit* ... de auctoritate qua praeditus est, sicut Deus, vivificandi et occidendi dictum est.

Postea pepigit Deus foedus cum Noe et cum omnibus qui exierunt cum eo ex arca, dixitque : *Nequaquam destruetur omnis caro ab aquis diluvii ... et, ecce, arcum meum dedi in nubibus et erit signum foederis aeterni inter Deum et omnem carnem, quae super terram* [17].

[SECTIO VII]

[1] Rursus postea scripsit de Noe qui *plantavit vineam et bibit de vino eius, et inebriatus est dormivitque et nudatus est in tabernaculo suo, viditque Cham nuditatem patris sui ostenditque duobus fratribus suis in foro* [1]. Ebrietas autem eius non fuit a multo vino, sed quia multo post biberat illud. In arca enim vinum non bibebat, quia etiam dies perditionis omnis carnis non permisit ei vinum in arcam introducere.

Quia certe illo anno diluvii, non bibit et quia anno quo exivit vineam non plantavit; — die enim vigesimo septimo Yar, (mensis), quo exierat, tempus uvarum acerbarum non [2] erat, nec erat tempus plantandi vineam; — quando autem tertio anno plantavit vineam ex acinis uvae passae, quae intulerat secum in arcam, donec fieret

16 *Gen.*, IX, 5 ss. 17 *Gen.*, IX, 11 ss.

1 *Gen.*, IX, 20 ss. 2 Negatio dubia, inter lineas addita.

vitis per tres annos aut etiam quattuor, invenitur sex annorum intervallum quo vinum non gustavit iustus.

[2] Et ad significandum longum post tempus eum bibisse illud, et propterea inebriatum esse, dictum est : *Exivit Cham ostenditque fratribus suis in foro* [3]. Undenam fuit illis forum, nisi quia civitas aedificata est eis? Et si civitatem aedificaverunt, post annos multos aedificaverunt eam. Ecce etiam aedificatio civitatis et dispositio fororum eius, testantur post annos, * sicut diximus, senem bibisse * p. 64 vinum et hanc ob causam inebriatum esse. Fratres autem huius (Cham), cognoscentes puritatem patris sui et eum in vigilia et in somno custodiri ab angelis, sicut Iacob, contexerunt pudenda eius cum tremore, vultibus suis pudenda eius non aspicientibus.

[3] *Statim autem ac evigilavit (Noe), scivit quidquid fecisset sibi filius suus minor.* Dormiens autem erat et vigilans. Dormiens erat quippe nuditatem suam non sensit. Vigilans erat, quippe sensit quidquid fecisset sibi filius suus minor. Maledixit autem ei et dixit : *Maledictus Chanaan; servus servorum sit fratribus suis* [4]. Quidnam autem inique egit Chanaan, etiam si erat in lumbis patris sui, dum hic nuditatem Noe inspiciebat? Sunt qui dicunt : Quia benedictus fuerat Cham, cum illis qui introierunt in arcam et cum illis qui exinde egressi sunt, propterea non ei ipsi maledixit (Noe), et tamen filius eius maledictus afflictavit eum. Rursus alii dicunt : Ex eo quod dixit Scriptura : *Cognovit Noe quidquid sibi fecisset filius suus minor,* certum est non Cham fuisse. Cham enim medius, non minimus erat. Et propterea dicunt filium eius minorem esse Chanaan. Chanaan nempe parvulus iocatus est de nuditate senis et exivit Cham hilaris narravitque fratribus suis in foro. Et hanc ob causam, etiam si videtur non ex iustitia fuisse (Chanaan) maledictum, qui fecit in puerili aetate quod fecerat, attamen ex iustitia maledictus est qui non vice alterius maledictus est. Scivit enim Noe quia nisi senectus eius digna maledictione futura esset, iuventus eius nunquam induxisset eum in hoc maledictum factum.

Ex iustitia autem exclusus est Cham a benedictione et a maledictione. Si enim maledictus fuisset, etiam si propter risum suum iuste maledictus fuisset, attamen Cham maledicto maledicti fuissent cum eo omnes filii Cham, qui in ludibriis * et risibus nullam partem * p.

3 *Gen.*, IX, 22. 4 *Gen.*, IX, 23-25.

habuerunt. Maledictus est igitur Chanaan propter ludibria sua; et exclusus est Cham a benedictione propter risum suum.

[4] Postquam autem maledictus est Cham in uno filio suo, (Noe) benedixit Sem et Iaphet, dicens : *Multiplicet Deus Iaphet et habitet in tabernaculis Sem; fiatque Chanaan illis servus*[5]. Multiplicatus est autem et invaluit Iaphet in hereditate sua ad septentrionem et ad occidentem. Habitavitque Deus in tabernaculo Abrahae, filii Sem; factusque est illis Chanaan servus; vastaverunt enim (filii Sem) in diebus Iosue, filii Nun, habitationes eorum et in servitutem redegerunt duces eorum.

[SECTIO VIII]

[1] Postea autem scriptum est de generationibus quae processerunt de Noe : ex ipso autem Iaphet cum Iaphet, generationes quindecim fuerunt. Et ex ipso Cham, cum Cham, generationes triginta fuerunt, praeter Philistaeos et Cappadoces, qui postea processerunt ab eis. Et ex Sem iterum, cum Sem, fuerunt generationes viginti et septem; summa autem generationum septuaginta duae. Unaquaeque autem earum est populo et lingua et situ distincta.

De Nemrod autem, de quo dictum est : *Fuit gigas robustus coram Domino*[1], quippe qui iuxta voluntatem Domini bellum fecit cum unaquaque gentium et eas persecutus est exinde ut irent et congregarentur in regionibus sibi a Deo distributis. *Et propter hoc dicitur : Quasi Nemrod gigas robustus, coram Domino*[2]. Benedicendo, si quis benedicebat sive magnatem aut principem, dicebat : Utinam fias quasi Nemrod gigas robustus, triumphans in bellis Domini. Regnavit autem in Arach, quae est Edessa; et in Achar, quae est Nisibis; et Chalaye, Ctesiphon; Rahbot, Hadiab; Chalia, Hatra; et Rasan, Resh-Aïna, civitatem magnam, scilicet in illo tempore.

[2] Rursusque dictum est : *Fuit universa terra linguae unius ... et dixerunt : Aedificemus civitatem et turrim cuius culmen in caelo*
* p. 66 *et nomen faciamus nobis, * ne forte dispergamur super faciem terrae*[3]. Civitas autem munita, quam aedificabant nihil metuendum habentes, ad quid? Et turris pertingens ad caelum, ipsis pactum firmum habentibus non futurum esse diluvium, ad quid? Et quod

[5] *Gen.*, IX, 27.
[1] *Gen.*, X, 9. [2] *Gen.*, X, 10 ss. [3] *Gen.*, XI, 1 ss.

dixerunt : *Ne dispergamur super faciem universae terrae;* quisnam alius praeter eos erat qui dispergeret eos? Eo autem quod dixerunt : Faciamus nobis nomen, certum est iactantiam eorum unanimem aedificasse civitatem et turrim; unde evenit ut dispergerentur ob discordiam inter se ortam.

[3] *Descenditque*, dicitur, *Dominus ut videret civitatem*; id est, vidit Dominus opus stultitiae eorum dixitque : Nihil omissum sit ab eis ex his quae sibi proposuerint, id est non effugient poenam; etenim fiet eis contra id quod dixerunt : *Ne dispergamur. Venite*, ait, *descendamus et confundamus ibi linguas.* Heic autem non ad aliquem dicens erat, quia de aliquo supervacaneum est illud : Venite, descendamus. Filium enim et Spiritum erat alloquens, ita ut (scires) neque priores linguas nec ultimas sine Filio et Spiritu concessas esse.

Confundamus ibi linguas nec audiat vir linguam socii sui[4]. Videtur illos perdidisse linguam communem ob linguas quas acceperunt. Nisi enim perdita esset lingua eorum prior non desertum fuisset opus eorum prius. Perdita enim lingua eorum priore, — quae perdita est ab omnibus gentibus et apud unam permansit, — deserta est aedificatio eorum prior. Rursusque ob linguas eorum novas, quae ad invicem faciebant eos extraneos nec intelligentes se (invicem), factum est bellum inter eos, propter divisionem quam linguae intulerunt inter illos.

[4] His autem causis factum est bellum inter eos qui civitatem munitam prae timore aliorum aedificaverant, et ab invicem dispersi sunt in universam terram hi qui hoc ipsum timebant.

Nemrod fuit qui dispersit eos; ille etiam cepit Babel et in ea prior regnavit : nisi enim quia ipse omnes dispersit illos singillatim non fuisset locus qui teneret eos omnes.

* [SECTIO IX] * p. 67

[1] Post haec incipit denuo dinumerare generationes quae ab Noe ad Abraham (fuerunt), dicens : *Noe genuit Sem et fratres eius; et Sem genuit Arphaxad*[1]. Et Arphaxad Saleh, et Saleh ʿEber, et ʿEber Phaleg, et Phaleg Eru, et Eru Sarug, et Sarug Nachor, et

[4] *Gen.*, XI, 7 s.
[1] Cfr *Gen.*, XI, 10-28.

Nahor Tareh, et Tareh Abraham et Nachor et Aran; et Aran genuit Lot et Melcha et Escha, quae est Sara : haec propter pulchritudinem suam vocata est Escha; et ambae ductae sunt (uxores) a patruis suis.

[2] *Et eduxit Tareh ex Ur Chaldaeorum Abraham filium suum et Lot filium filii sui et Sarai nurum suam et venit habitavitque in Harran. Et apparuit Deus ad Abram et dixit ei ... Egredere de domo patris tui in terram quam monstrabo tibi faciamque te in gentem magnam* [2]. Reliquit autem parentes suos, qui noluerunt egredi cum eo et eduxit Lot qui credidit promissioni eius. Etsi coheredem Abrahae non fecit eum (Deus), attamen non permisit ut ingrederentur filii Abrahae in hereditatem filiorum Lot. *Certe eduxit Abraham Sarai et Lot venitque in Chanaan.*

[3] *Et facta est fames in terra descenditque Abram in Aegyptum ... dixitque ad Saram : Cum viderint te Aegyptii dicturi sunt : Uxor ipsius est; dic : Soror eius sum ego. Et vivet anima mea propter te* [3]. Etsi dominus meus Abraham humanum verbum, ut homo, dixit, attamen Sara credens Abraham ipsum esse sterilem, educta est ad regis domum, primo ut disceret seipsam esse sterilem; secundo, ut manifestus esset amor eius erga maritum suum, quae recusavit (uxorem) duci regis, vice exsulis; et (tandem) ut in ea figuraretur typus filiis suis; quemadmodum enim non amavit regnum Aegyptium ita ne diligerent ipsi idola alliumque et caepas Aegypti. Et, sicut punita est tota domus pharaonis pro liberatione eius, ita punienda erat tota Aegyptus pro liberatione filiorum eius. Domestici autem pharaonis puniti sunt quia laudaverunt eam coram (rege) et instigaverunt eum ut raperet eam. Rursusque ipse punitus est quia abduxit eam vi ut sibi etiam volens esset. Nisi enim, ne occiderent eam et maritum suum, non seipsam tradidisset.

* p. 68

* [SECTIO X]

[1] *Et facta est rixa inter pastores Abram et pastores Lot* [1]. Servos autem Lot rixosos misit Iustitia inter litigiosos Sodomitas, ut ipsi cum illis castigarentur; et Lot servatus est de medio eorum. Cum autem terra promissa erat Abrahae, ipsi Lot concessit ut *sibi*

2 *Gen.*, XI, 31-XII, 5. 3 *Gen.*, XII, 10 s.
1 *Gen.*, XIII, 7 ss.

eligeret regionem Iordanis, id est universam terram Sodomorum irrigatam a Iordane.

[2] Postquam ab eo Lot divisus est, apparuit Dominus ad *Abram et dixit ei ... Surge perambula terram in longitudine sua et in latitudine sua, quia tibi daturus sum eam* [2]. Hic clare designatur Crux. Terra autem, quae in mysterio Crucis promissa est prioribus patribus, extorres fecit propter Crucem habitatores alios.

[SECTIO XI]

[1] Postea venit Charedlaamar (Chodorlahomor), rex Elam, cum tribus comitibus suis ut facerent bellum cum rege Sodomorum et cum quattuor comitibus eius; fugitque rex Sodomorum cum comitibus eius; ceperuntque domestici Charedlaamar universam possessionem Sodomorum atque Lot cum substantia eius et abierunt. Duxit autem Abraham trecentos decem et octo servos suos cum Anir duobusque sociis eius sibi confoederatis et attigit ac percussit eos et reduxit captivitatem substantiamque et Lot, filium fratris sui substantiamque eius. Substantia autem Sodomitarum quia mixta erat cum regum (possessione), abstinuit se a praeda regum [1].

[2] *Et Melchisedec, rex Salem, protulit panem et vinum, et ipse pontifex erat Dei Altissimi; et benedixit ei et ait : Benedictus est Dominus qui hostes tuos tradidit in manus tuas. Dedit ei Abraham ex omnibus decimas* [2].

Hic autem Melchisedec est Sem, qui factus est rex propter magnitudinem suam, quippe qui caput quattuordecim generationum erat, et pontifex rursus erat, quod a Noe, patre suo, acceperat ex successione. Ille autem non tantum ad dies * Abrahae pervenit, ut dicit Scriptura, sed etiam usque ad Iacob et Esau, filios filii Abrahae; et ad eum ivit consultum Rebecca, cui dictum est : *Duae gentes sunt in utero tuo, maiorque serviet minori* [3]. Non reliquisset enim Rebecca maritum suum, servatum ab holocausto, neque socerum suum cui quotidianae visiones divinitatis erant et ivisset consultum hunc nisi ab ipso Abraham, aut a filio Abrahae, didicisset magnitudinem eius. * p. 69

2 *Gen.*, XIII, 14 ss.
1 Cfr *Gen.*, XIV, 1-16. 2 *Gen.*, XIV, 18 s. 3 *Gen.*, XXV, 23.

Neque Abraham ipse decimas dedisset, nisi cognoscens eum esse infinite altiorem se. Nullum certe ex Chananaeis aut ex Sodomitis consulisset Rebecca, nec Abraham ulli eorum decimas dedisset substantiae : hoc ne veniat quidem oportet in mentem. Quia autem Melchisedec anni vitae usque ad Iacob annos et Esau extensi sunt cum veri similitudine dictum est eum esse Sem. Noe enim, pater eius, habitabat ad orientem, ipseque habitabat inter duas gentes, id est inter filios Cham filiosque suos; sicut murus intergerivus enim erat in medio, quia timebat ne filii Cham inducerent filios suos in idololatriam.

[SECTIO XII]

[1] *Postea apparuit Deus ad Abraham in visione et dicens ei : Merces tua bona nimis,* ob iustitiam quam egisti in captivitatem quam liberasti. *Dixitque Abraham : Quid dabis mihi? Quia ego vadam absque liberis ... et vernaculus meus heres meus erit. Et eduxit eum foras et dixit illi : Suspice caelum et numera stellas si potes numerare eas. Dixitque : Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham et reputatum est ei hoc etiam ad iustitiam magnam* [1]. Quia enim credidit quod difficile erat et quod a nemine crederetur, reputatum est ei ad iustitiam. De fide eius ea ipsa hora transmigra-
* p. 70 tionis eius [2] * dixit : *Ego sum Dominus qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram hanc in hereditatem tibi. Et ille dixit : Undenam sciam me in hereditatem habiturum esse terram istam?*

[2] Sunt autem qui dicunt, ob dubitationem de hac re dictum esse ad illum : *Sciens scito inquilinum futurum esse semen tuum in terra non sua* [3]. Sed sciat qui hoc dicit, eodem tempore credidisse (Abraham) sibi semen futurum esse sicut arenam. Si id quod est magnum credidit, (sibi) soli et ex sola sterili et quae (iam) senuerat, multiplicatum iri semen suum sicut arenam, num de hac terra parva dubitavit ille qui de isto magno non dubitaverat? Et si autem dubitavit, quare dicit ei (Deus) : *Sume tibi capram trimam et arietem triennem turturem quoque et columbam?* Quia ecce, nocte illa dicta sunt ei et die perfecit ea; et de mane usque ad vesperam coram oblatione sua stabat et abigebat quemcumque avem descendere super sacrificium suum volentem; et ecce, postquam descendit ignis super oblationem acceptam, ad vesperam, tunc apparuit ei (Deus) et illa dixit ei. Si autem, sicut in poenam (Deus) dixisset ei, oblationem eius non accepisset; et foedus suum eo ipso die non pepigisset cum illo; decem nationes semini eius submittendas fore eo ipso die non promisisset; nec eum in senectute bona sepeliendum esse dictum fuisset ei. Illa autem omnia beneficia, si eo ipso die facta sunt ei, (causa fuit) quia *credidit et reputatum est ei in iustitiam.* Et quomodo virum qui retributionum maiorum dignus factus est propter fidem suam illo die, quidam dicunt poenam accepisse posteris suis, propter incredulitatem suam eodem die?

[3] Abraham autem id quod erat difficile, nempe ex utero mortuo Sarae oriturum esse et exiturum mundum hominum, credidit; quod autem de terra interrogavit, non quidem an fieret sed quomodo fieret. Etenim ubi vidit terram Chanaan cum regibus et exercitibus, consideravitque illam abundantem plenamque incolis suis, et audivit eodem tempore hanc terram dandam esse, non quidem sibi sed semini suo, * voluit, quia hoc non suis ipsis diebus futurum erat, * p. 71
discere quomodo fieret hoc, quando semen suum ingrederetur et acquireret eam in hereditatem.

Secum enim cogitavit Abraham : Num reges illi se invicem vastabunt, aut populi alieni ascendent et vastabunt eos et vacuam facient nobis terram? Num semen illud quod erit mihi crescet et veniet vastabitque incolas eius et hereditabit eam? Aut terra devorabit eos propter opera eorum? Aut hi ipsi propter famem aut famam, aut quamcumque ob causam, in terram aliam migrabunt? Quae futura esset (causa) inter illas quaerebat Abraham scire, nec erat ullo modo dubitans.

Deus autem, quid quaereret Abraham sciens, cum eo quod quaesivit etiam non quaesita ostendit ei. Oblatione enim posita, in quam descendit avis quam abegit (Abraham), ostendit ei (Deus) peccaturam esse stirpem eius et iustorum oratione salvandos esse; et fornace ignis descendente certiorem fecit eum, etiam deficientibus iustis inter illos, salutem venturam esse de caelo. Vitulo autem trimo arieteque trimo et capra trima (certiorem fecit eum) : aut post tres generationes salvandos esse; aut reges, sacerdotesque et prophetas futuros esse ex eis. Membris animalium dissectis figuravit tribus eorum, avibusque non sectis unionem eorum (figuravit).

[4] Postquam autem (Deus) ostendit ei illa dixit ei : *Sciens scies* quid scire volueris : *Inquilinum erit semen tuum in terra non sua.* Non autem quasi in captivitate descendent sed cum iumentis et curribus eos sequentibus descendent *et subicient eos servituti per quadringentos annos*, non enim relinquent illos exire nisi compulsi. *Verumtamen gentem quae rediget eos in servitutem, ego iudicabo et ipsi egredientur cum substantia magna, et tu colligeris ad patres tuos in senectute bona; generatione autem quarta huc revertentur* [4].

Quod autem scribit : *Non completae sunt iniquitates Amorrhaeorum* : ut ostenderet nondum plenam esse mensuram peccatorum eorum, ut cum iustitia acciperent poenam gladii.

[5] Et quod dixit : *Sopor cecidit super Abraham,* id est sicut
* p. 72 stupor * qui cecidit super Abimelech [5], in quem cecidit eo tempore quo apparuit ei Deus; et pepigit cum (Abraham) pactum quo decem gentes servirent stirpi eius et a flumine Aegypti usque ad fluvium Euphraten terram semini eius daret in hereditatem.

[SECTIO XIII]

[1] Eodem autem anno, cum vidisset Sara se esse sterilem, dixit ad Abraham : *Ecce conclusit me Deus ne parerem. Ingredere ad ancillam meam si forte ab illa consoler* [1]. Postquam autem (Abraham) hortatus est eam ad patientiam, nec persuasum habuit, scriptum est : *Audivit vocem uxoris suae,* quae dedit illi Agar aegyptiam, quam dederat ei pharao cum ceteris (donis) eo die quo duxit eam sibi uxorem.

[2] *Cum autem illa concepisset, despectui fuit domina sua ante oculos suos*; quia credidit semen suum intraturum esse et in hereditatem possessurum esse terram promissionis. Cumque potuisset Sara arripere eam et verberare, attamen consideravit quod, etsi ancilla sua erat priusquam daretur marito suo, hodie cosponsa sua facta est; ne igitur despiciens concubinam Abrahae, despiceret etiam Abraham, *dixit ei : Oppressio mea super te est,* quia ego pro rege te non commutavi, tu autem praetulisti mihi hodie ancillam; dum

[4] *Gen.*, XV, 14 s. [5] *Gen.*, XX, 3.
[1] *Gen.*, XVI, 1-4.

deberet Agar nuntiare mihi exauditam esse orationem meam et illam concepisse; ut consolatio enim mihi esset ex ea, dedi eam tibi. Malum vice boni quod feci illi reddidit mihi, quae iniuriam acerbam ob oculos omnium sodalium suarum fecit mihi.

[3] Agar autem, quae Abraham confisa erat, videns eum arripere et tradere eam dominae suae, offensam timuit et fugit. *Et invenit eam angelus ... et dixit ad illam : Revertere et esto serviens dominae tuae, quia multiplicabit (Deus) semen tuum et non numerabitur prae multitudine eius ... eo quod audivit Dominus subiectionem tuam* [2], quia obtulisti teipsam ut ires et servires dominae tuae; *paries enim filium vocabisque nomen eius Ismael ... et erit onager inter filios hominum,* eo quod in deserto habitabit et, sicut onager, non intrabit in terram cultam. *Manus eius contra omnes,* * ut rapiat * p. 73
ab omnibus, *et manus omnium contra eum,* propterea quod cum omnibus gentibus contendet et omnes gentes contendent cum eo. *Et in finibus omnium fratrum suorum,* filiorum Sarae et Ceturae, *habitabit.* Divisae erant enim hereditates inter filios Sem.

[4] Agar audivit filios multos futuros esse Abrahae, non autem ex ipsa Agar, quae persuasum habuit illum non amplius ingressurum esse ad eam. Scivit enim illum, usque dum sciret ipsam concepisse, cognovisse eam et non amplius accessisse ad eam. Ut perficeret enim voluntatem Sarae ingressus est ad eam, ut haberet consolationem parvam ex Agar, donec beatificaret eum Deus fructu ventris eius.

Dixitque Agar : Tu es Deus visionis, qui descendis ad apparendum vere iis qui adorant te. Quod autem addidit, dicens : *Visionem vidi postquam vidisti me*; quia prius apparuit ei angelus silenter, ne timeret; ubi autem locutus est cum illa, *apparuit ei visio in visione,* id est Deus in angelo. *Propterea appellavit puteum, puteum Videntis qui videt me.*

[5] Ingressa est igitur Agar et petiit (veniam) a domina sua, et cum narrasset utrique visionem quam vidit, et quod dixit angelus de filio suo, illum in fines fratrum suorum habitaturum esse, nuntio quod attulit Sarae oblitteratus est maeror in quo versabatur Sara. *Peperit autem Agar et vocavit Abram nomen filii eius Ismael* [3], sicut didicerat ab Agar.

[2] *Gen.*, XVI, 7 s. [3] *Gen.*, XVI, 15.

[SECTIO XIV]

[1] *Postquam autem factus est (Abraham) nonaginta novem annos natus, apparuit ei Dominus dixitque ad eum : Esto immaculatus in foedere quod faciam tecum et multiplicabo te, et dabo tibi populos* [1], id est tribus. Sed etiam de filiis Esau, filiisque Ceturae et Ismael, qui facti sunt in populos, hoc perfectum est. *Et reges ex te egredientur,* de domo Iudae et Ephraim et Edomaeorum. *Sed hoc est foedus meum, ut circumcides omne masculinum, carnem praeputii vestri* [2].

* p. 74 [2] * *Dixit quoque Deus ad Abraham : Dabo tibi filium ex Sara et benedicam ei, et fiet in nationes. Ceciditque (Abraham) in faciem suam et risit, dixitque in corde suo : Num ex centenario nascetur filius, aut Sara nónagenaria pariet? Dixitque : Utinam Ismael vivat coram te* [3].

Minime vero dubitans risit, sed dicta eius ostendunt amorem suum erga Ismael. Cum enim annos viginti quinque suspensum tenuisset eum (Deus) hac spe, ille autem fidem suam in ea, in omnibus quae facta sunt ei, manifestavit; quoties scilicet certavit cum sterilitate, triumphum fidei suae manifestaverat; quando autem addita est senectus sterilitati, *risit ille in corde suo,* id. est miratus est num haec duo perficiet sibi Dominus suus. Propterea (Deus) *dixit illi : In veritate, Sara uxor tua pariet tibi filium,* nec tentans exploro te, num etiam in hoc quod non operor credas, *super Ismael quoque exaudivi te; ecce benedicam ei et multiplicabo eum* [4].

[3] Si autem aliquod dubium habuisset, minime Deus per veritatem suam iuravisset ei, minime de Ismael exaudivisset eum, et minime proximo anno ei nasciturum esse filium nuntiavisset ei, at reprehensionem et obiurgationem intulisset in eum. Quod autem dixit de Ismael, quia duodecim magnates generabit, pro ratione quod in duodecim turmas factus est, sicut Iacob, qui factus est in duodecim tribus. Hoc nempe ipso die, circumcidit Abraham seipsum et Ismael, filium suum et omnes domesticos suos [5].

Quoniam nempe obstrinxerat seipsum Largitor (Deus), anno proximo, munere dando, cogitabat Abraham : Quando benedicetur et

1 *Gen.*, XVII, 1 s. 2 *Gen.*, XVII, 10 s. 3 *Gen.*, XVII, 15-18. 4 *Gen.*, XVII, 19 s. 5 Cfr *Gen.*, XVII, 23 s.

aperietur uterus clausus Sarae, utrum cum revelatione hoc fiet, an sine revelatione? Atque haec illi cogitanti *apparuit ei Dominus sedenti ad ostium tabernaculi eius, in ipso fervore diei* [6]. Dum autem volebat oculos cordis sui implere revelatione, sublatus est ab eo Deus.

[4] (Abraham) autem cogitante ad quid apparuerit ei (Dominus) et disparuerit * non loquens cum ipso, *vidit et ecce, tres viros stantes prope eum,* reliquit cogitationem suam et cucurrit in occursum eorum, de ostio tabernaculi. * p. 75

[SECTIO XV]

[1] Cum autem (Abraham) curreret de tabernaculo ad illos velut ad hospites, ut cum caritate reciperet hospites, currebat. Ubi autem probata est caritas eius ad hospites celeritate qua cucurrit in occursum hospitum, Dominus qui hac ipsa hora apparuit ei ad ostium tabernaculi, manifeste apparuit ei in uno ex tribus (viris).

Cecidit igitur Abraham et adoravit [1], petens ab illo in quo habitat magnitudo, ut se demitteret ad ingrediendum domum eius, et benedicendum habitaculum eius. *Si inveni gratiam in oculis tuis, ne transieris servum tuum.* Nec difficilem se praebuit cum eo, quia dixit : *Sic fac, sicut locutus es. Festinavit autem Abraham ad Saram ut tria sata similae faceret (panes). Ipse cucurrit ad armentum ad adducendum vitulum adipeum* [2].

[2] Panem autem et carnem abundantes (attulit Abraham), minime quidem ut angelos satiaret, sed ut benedictionem omnibus habitatoribus (domus) suae distribueret. Postquam autem lauti sunt et sederunt sub arbore, *attulit Abraham posuitque coram eis* id quod paraverat. Ipse autem non ausus est accumbere cum eis, sed sicut minister iuxta illos stabat.

Postquam comederunt, quaesierunt Saram. Illa autem, quae etiam in senectute sua modestiam servabat, ex interiore thalamo ad ostium progressa est. Ex celeritate autem Abrahae, et ex silentio quod per signum ab omnibus obtinuerat, cognoverunt domestici eius non esse homines, illos qui, velut homines (facti) propter hominem Dei, pedes suos lavandos praebebant.

6 *Gen.*, XVIII, 1.
1 Cfr *Gen.*, XVIII, 1-3. 2 *Gen.*, XVIII, 6 s.

[3] *Dixit autem ad Saram : Tempore hoc revertar ad te. Et habe- (* p. 76) bit filium Sara. Sara autem,* etiam Abraham stante * post eam ad confirmandam eam, *risit in corde suo et dixit : (Num) postquam senio confecta sum, fiet mihi iuventus, et dominus meus senuit*[3]*?* Illi autem, quae si petiisset signum datum ei fuisset, — primo quia mulier sterilis fuit et anus; secundo, quia factum est nihil huius modi quo viso aut audito crederet, — illi nempe, quae non petiit signum, signum ex seipsa et in ipsa datum est. *Dixitque : Quare risit Sara, dicens num ego paritura sum quae senui?* Sara autem quae debuisset accipere signum sibi datum, mendacio studuit mendax reddere signum verum sibi datum. Etsi autem illa prae timore negavit, (angelus) tamen ut indicaret se non credere excusationem mendacem, *dixit illi : Sed risisti tu in corde tuo,* et ecce, etiam cor tuum refellit vaniloquium linguae tuae.

[SECTIO XVI]

[1] Postquam polliciti sunt fructum Sarae, *surrexerunt et respexerunt adversus Sodomam*[1]; et si Sarae non manifestata est profectio eorum ad Sodomam, ne forte eodem die quo laetificaverunt eam promissione filii eius sibi futuri, angore afficeretur propter fratrem eius, ob sententiam irae quae lata est adversus Sodomam et (civitates) socias eius. Occultarunt igitur Sarae, ne a fletu non desineret; manifestaverunt autem Abrahae, ut non desineret ab oratione et ut praedicaretur in mundo, ex ea ipsa (civitate) Sodomae nullum inventum esse iustum cuius gratia salvaretur.

Clamor, ait, *Sodomorum et Gomorrhae multiplicatus est et peccata eorum aggravata sunt nimis*[2]. Clamor autem supra dictus exponitur per inferius citata peccata. Et quod dixit : *Descendi ut viderem utrum clamorem qui ad me introivit opere compleverint; sin autem sciam,* non (dictum) est quasi nesciret (Deus) illos peccasse, hic qui prius dixit peccata eorum aggravata esse nimis; exemplum autem est iudicibus, ne auditu vero quidem praeiudicent. Etenim, si ille qui omnia cognoscit, scientiae suae renuntiavit ne vindictam ante iudicium faceret, quanto magis (oportet) nescientes renuntient ignorantiae suae, nec sententiam ferant priusquam audiatur causa.

[3] *Gen.*, XVIII, 10 ss.

[1] Cfr *Gen.*, XVIII, 16 ss. [2] *Gen.*, XVIII, 20 s.

* [2] Discesserunt autem *duo angeli ad Sodomam intendentes iter* * (p. 77) ad fores urbis, *ubi sedebat Lot* ut reciperet peregrinos intrantes illuc. *Surrexit autem Lot (et ivit) obviam eis,* velut obviam hospitibus. Huic autem pervenienti ad illos apparuit in duplici (forma) visio quam viderat Abraham in triplici : *adoravitque,* ait, *Lot pronus in terram*[3]. Sed et ipsis Sodomitis, quia dictum est : *Descendi ut viderem,* splendido aspectu apparuerunt (angeli). Illud enim : *Descendi ut viderem,* hoc est : Descendi ut probarem eos. Si enim post hanc visionem quam viderunt, non rabidi fuissent, etiam si remissio delictorum suorum priorum non fuisset, tamen nec etiam sententiam recepissent quam receperunt.

[3] Lot igitur festinans introduxit eos priusquam congregarentur Sodomitae, et ab eis offenderentur; at ipsi retardaverunt seipsos propter praetextus, ut venirent Sodomitae quos probarent. Etenim, non invito acceperunt (hospitium)[4] angeli apud Abraham quem non probabant, quippe qui ad mercedem probationis eius praebendam descenderant; apud Sodomitas autem, cum ad probandum eos descendissent, dicunt ad Lot compellentem eos intrare : *Minime, (sed) heic in foro manebimus per noctem.*

[4] *Illo autem compellente eos oppido, ingressi sunt ... et comederunt. At ipsis nondum dormientibus, Sodomitae vallaverunt domum, dicentes ad Lot : Educ nobis viros qui ingressi sunt ad te per noctem, et cognoscemus eos.*[5] Considera autem illos, per noctem quae absconderet aspectum eorum, ingressos esse et non per lucem quae manifestasset pulchritudinem eorum, nam velum quoddam extenderant super aspectum suum, tenebris obductis super aspectum suum. Etsi ipsi noctu ingressi sunt, ut levior fieret tentatio tentati prae invisibilitate eorum, Sodomitae tamen nullum inde auxilium susceperunt, quia ad iniuriam diu, et noctu etiam, parati erant.

[5] Postquam autem petiit Lot Sodomitas nec consenserunt, promisitque eis duas filias suas nec acceperunt sed minati sunt * *se* * (p. 78) *afflicturos esse eum magis quam illos, et iam prope erat ut frangerent etiam fores, tunc viri introduxerunt Lot ad se et percussi sunt Sodomitae qui foris erant, hallucinationibus.* Non autem correcti sunt per hoc, qui post hoc fores invenire elaborabant. *Dixe-*

[3] *Gen.*, XIX, 1 s. [4] δυσκόλως ἔχειν. [5] *Gen.*, XIX, 3-6.

runt autem viri ad Lot : Generos tuos filiosque tuos ac filias et quodcumque habes, educ de loco quia delebimus locum[6]. Generos suos autem vocat filios, quia (ut) filios introducere ad filias suas intendebat.

[6] *Egressus est autem Lot et locutus est ad generos suos*, et dum illic congregati sunt Sodomitae, nec eum egredientem nec etiam revertentem viderunt intrare. Cum autem illudissent eum ipsi generi sui, rediit (Lot). *Apprehenderunt viri manum eius et manum uxoris eius et duarum filiarum eius et eduxerunt eos* : nec viderunt eos Sodomitae, etiam turmatim inter illos egredientes.

Mulieres autem quae non probatae erant Sodomae, per legem probatae sunt quae eis sancita est egredientibus ex Sodoma. Lot autem rogavit pro Saar (Segor) servanda ut illuc intraret quia proxima erat. Et dictum est ei : Ecce, respectum habeo ad te, etiam in verbo hoc, ut non subvertam urbem Saar (Segor)[7] illam quae pro probro *(ṣaara)* filiarum tuarum data est tibi.

[7] Ubi primum autem *ingressus est Lot Saar, Dominus pluit super Sodomam sulphur et ignem de coram Domino de caelo*, id est, angelus in quo apparuerat Dominus descendere fecit de coram Domino qui est in caelo, sulphur et ignem in Sodomam. Uxor autem eius sprevit mandatum quod ad horae spatium ad probationem suam latum fuerat, *et facta est in statuam salis*; et manens[8] duplicavit probationem Lot et duarum filiarum eius. Non autem etiam sic victi sunt ut mandatum angeli violarent.

[8] Quia autem timebant puellae habitare urbem vastatam in montanis et credentes in diluvio ignis consumptam esse totam crea-
* p. 79 tionem, sicut generatio Noachitarum in diluvio aquarum, * *dixit maior ad minorem: Ecce pater noster senuit et vir non est in terra qui ingrediatur ad nos; potum praebeamus patri nostro vinum et vivere faciamus ex eo semen*[9], et orietur a nobis mundus tertius, sicut a Noachitis secundus et ab Adam et Eva primus.

Etsi autem vinum habebant, quia quodcumque (erat) in Saar in hereditatem illis relictum fuerat, sed vir in Saar non erat; quia eo tempore quo dixit ei angelus : *Ecce respectum habui ad te, ne subverterem urbem*, eo ipso momento devoravit Saar habitantes suos, et

[6] Cfr *Gen.*, XIX, 12 s.

[7] Cfr *Gen.*, XIX, 16-22.

[8] Si ut in ms. : *in reliquo (vitae eius)*.

[9] *Gen.*, XIX, 31 s.

reliquit hereditates suas, ut possessoribus suis a se devoratis, placaret (Deum) iustum quem irritaverant opera eorum; et possessionibus a se relictis, consolaretur Lot iustum qui perdiderat quodcumque habebat Sodomae.

[9] Puellae autem praetexuerunt (dicentes) : Timemus dormire propter visiones. Mater nostra enim ut statua salis venit et stat coram nobis. Et Sodomitas ardentes videmus. Vocem mulierum clamantium intra ignem audimus, et parvuli confecti incendio apparent nobis. Noli igitur dormire, propter tranquillitatem filiarum tuarum; et splendeat vino direpto nox in vigiliis quae servetur a tremore.

Postquam autem viderunt (puellae) sensum (patris) a vino direptum esse, et somnum altum in membra eius diffudisse, intravit maior et furata est semen a seminatore dormiente, qui non sensit. Hoc autem filia eius maior inveniens factum esse die praecedenti, induxit sororem suam ut fieret illa etiam sponsa ad tempus, et permaneret in aeternum in viduitate.

[10] Consentiens autem minor *ingressa est etiam illa et exivit et non sensit eam* (Lot)[10]. Tunc puellae postquam notus est conceptus qui in eis est, minor maiorem graviter culpabat dicens : Melius fuisset nobis steriles esse quam mori probrose, et nos permanere cum patre nostro sine filiis, quam patrem nostrum esse solum sine filiabus. Quamnam enim excusationem proferemus ad eum hora qua iudicabit nos, et quamnam * responsionem dabimus tempore quo occi- * p. 80
det nos? Puellae, dicet, quas dixi Sodomae non novisse virum, quisnam hic cognovit eas in monte? Dicemusne nos ventum concepisse? Et cum tempus pariendi nobis iam imminet quid faciemus?

[11] His autem in illis haesitantibus, vocavit eas pater earum, et dixit illis : Aliquamdiu est mihi ex quo furtim ventres vestros inspicio, et de die in diem opinionem adulterii quae fuit mihi adversum vos confirmatis. Dicite mihi igitur unde sit conceptus qui in vobis est, et quando et ubi et a quo seductae fueritis?

Respondit maior et patri suo dicebat : Sponsi nostri urserunt matrem nostram ut te rem celaret ostenderetque nos illis. Etsi enim natura sponsas fecisset nos illis, defectus tuus liberorum sorores nos fecit eis. Illi autem intrantes apud nos velut fratres, cum ob qualem-

[10] *Gen.*, XIX, 35.

cumque causam coacta mater nostra exisset, insurrexerunt in nos et vim intulerunt ut tyranni. Statim autem ac rediit mater nostra et vidit nos, illos, cum probro debito impudicis, e domo propere eiecit. Cor autem nostrum consolabatur, (dicens) quia sponsi vestri sunt, et non scortatores; semen est seminatorum vestrorum quod accepistis, etiam cum revera vim passae estis.

[12] Admisit autem pater argumenta earum, quia illa quae narrabantur minima erant de Sodomitis; qui (enim) ad invicem et ad vigiles superos (i.e. angelos) aggressi sunt, non fuit magnum quid, si ad illas quae sibi sponsae erant, ante tempus vim intulerint et stupraverint.

[13] *Peperit autem maior (filium) vocavitque nomen eius Moab;* et factus est in populum, quia filius Lot fuit. *Peperit quoque minor (filium) vocavitque nomen eius Filium-populi-mei* [11], id est generatio patris mei, quia de patre meo est. Quia autem ambae datae sunt
* p. 81 duobus stupratoribus, fuerunt duo filii earum * in duos populos; quia autem oblatae sunt duae vice angelorum [12], remissa sunt ambabus duo delicta sua. Puellae autem non fuerunt amplius cum Lot, quia pater earum erat; nec aliis fuerunt, quia maritus iuventutis earum, vivens erat. Ipsae autem sententiam in seipsas tulerunt et abstinuerunt se a quocumque (coniugio) decenti, eo quod cum praecipitatione fecerant quod non decebat; sed per honestatem posteriorem valde purgata est praecipitatio anterior.

[SECTIO XVII]

[1] Postea venit Abraham ad Philistaeos, et quia timebat *dixit de Sara quia soror mea est. Misit quoque Abimelech, rex Gedarae et duxit Saram* [1]. Et quia probata fuerat a pharaone, praesertim quia Isaac in utero gestabat, et oratio Abrahae urgebat, dum cecidit (Abimelech) in lectum, incidit in eum subito sopor velut (sopor) Adae, *dixitque ei Deus in somnium.*

En morieris propter mulierem quam duxisti, quia uxor est viri. Dixitque Abimelech : (Num) gentem iustam occidis? Ecce, in simplicitate cordis mei et in munditia manuum mearum feci hoc. Dixit-

[11] Cfr *Gen.*, XIX, 37. [12] Cfr *Gen.*, XIX, 8.
[1] Cfr *Gen.*, XX, 1 s.

que ei (Deus) : Propter hoc non reliqui te ut appropinquares ad eam ne peccares in me [2].

[2] *Mane surrexit autem Abimelech ... vocavitque Abraham*, et criminatus est eum, eo quod induxerit eum in hoc peccatum. Dixitque ei Abraham : Timens timui vocavique eam sororem meam, nec in hoc quidem mentitus sum, quia soror mea est; *filia patris mei, non autem filia matris meae.* Soror eius erat a patre quia filia fratris eius erat, non autem a matre, quia sororem suam non duxerat sibi (uxorem) Aran, filius Tareh, quia aliam, filiam alienigenarum, duxerat sibi quae dilexit tribum suam plus quam filios suos permansitque apud gentem suam noluitque exire et sequi Lot, filium suum, et Saram ac Melcham filias suas.

[3] *Dixitque Abimelech ... Sarae : Ecce dedi fratri tuo mille argenteos* et illi cum munere restituo te *quia operuisti oculos omnium qui mecum (sunt) et coram omnibus reprehendisti me* [3]. *Operuisti autem oculos omnium * qui mecum sunt* eo quod ignominia affecit * p. 82
Sara omnes qui cum eo erant, reprehensione in publico qua reprehenderat eum coram omnibus qui cum eo (erant). Postquam enim (Sara) vidit Deum ferre sibi auxilium per somnum repente (regi) infusum, voce alta coram omnibus dixit ei : Non decebat adulterio egredi a via adversus uxorem tuam, nec etiam ducendo alteram uxorem.

Nisi autem iuventutem alteram accepisset Sara a semine quod conceperat, Abimelech nonaginta annos natam non concupivisset. — *Quia autem oravit Abraham, sanavit Deus Abimelech et uxorem eius ancillasque eius et pepererunt* [4]. Quia ex quo tempore fuit ei in mente ut duceret Saram (uxorem) et donec redderet eam, dolores partus torquebant mulieres domus eius et se incurvabant, non autem pariebant.

[SECTIO XVIII]

[1] Venit autem tempus et Isaac natus est : fluxit lac de uberibus anilibus. Post circumcisionem autem eius ablactationemque, Sara vidit Ismael ridentem die grandis convivii [1], quod pro ablacta-

[2] *Gen.*, XX, 3-6. [3] *Gen.*, XX, 8 ss. [4] *Gen.*, XX, 17-18.
[1] Cfr *Gen.*, XXI, 8 ss.

tione Isaac fecit (Abraham). Sara autem, quae vidit quantum conformaretur matri eius Ismael, quia, sicut in contemptionem ipsa venit oculis Agar, ita filium suum deridebat et ipse, Ismael; — cogitabat si, me vivente ita filio meo agit, me mortua —, ecce, nonne coheredem filii mei faciet eum (Abraham)? Et forsan, etiam duas partes dabit ei, quippe qui maior est natu.

Zelo igitur exarsit Sara in commodum filii sui quae in commodum proprium non aemulavit; etenim Agar non invidit, quam ipsa marito dederat suo; attamen, ubi fuit promissio Dei et aestimavit filium concubinae coheredem futurum esse filiae liberae, Sara dixit : *Eice ancillam et filium eius* [2], quia non est iustum filium ancillae hereditare cum filio promissionis, cui facta est promissio a Deo. Non enim decet te adversus Deum esse et facere heredem illum quem Deus non fecit.

* p. 83 * **[2]** Abraham autem, — cui impositum est sic agere, quia apud ipsum nulla erat distinctio inter filios suos —, scriptum est *aegerrime tulisse hanc sententiam Abram de negotio filii sui. Dixitque ei Deus : Omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen, dum etiam filium ancillae in gentem magnam faciam, quia semen tuum (est)* [3].

[3] *Et mane surrexit Abraham et dedit Agar panem et aquam et puerum et dimisit eam. Et ivit et erravit in solitudine ... Vocavitque angelus de caelo Agar et dixit illi : Ecce, exaudivit Deus vocem pueri ... firma autem manus tuas super eum, quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque Deus oculos eius viditque puteum aquae et implevit (utrem) deditque puero bibere* [4].

[SECTIO XIX]

[1] Postea *dixit Abimelech et Phicol, princeps exercitus eius ad Abraham* [1] ... Videntes Deum cum eo et auxiliari ei in bellis regum, etiam terram Chananaeorum polliceri ei, timuit etiam ne forte post vastationem Chananaeorum, vastaret etiam terram suam, illico petiit ut iniret secum foedus. Inieruntque ambo cum Abraham foedus.

[2] Cfr *Gen.*, XXI, 9 s. [3] *Gen.*, XXI, 11 ss. [4] *Gen.*, XXI, 14 ss.
[1] Cfr *Gen.*, XXI, 22 s.

[SECTIO XX]

[1] *Tentavit iterum Deus Abraham et dixit ad eum : Duc filium tuum et vade in regionem Amorrhaeorum, et offer eum in holocaustum super unum montium quem dixero tibi* [1]. Ne autem dicerent quia stupore stupefactus est, procrastinavit per tres dies. *Mane surrexit Abraham et cecidit ligna duxitque duos pueros suos et Isaac et abiit.* Sarae autem non manifestavit (illud), quia nec etiam iussum erat ei revelare; sed illa petiit ab eo ut iret et fieret socia sacrificii eius, sicut socia fuerat promissionis generationis eius. Iterum, (non revelavit) ne insurgerent in ipsum domestici eius componerentque lamentationes in tabernaculo eius et congregarentur habitatores regionis, * eriperentque puerum ab eo, vel cogerent eum * p. 84 diem sacrificii differre. Si enim nec etiam duos quos duxit secum (pueros) assumpsit secum super montem prae timore, quanto magis timebat multos, qui nec duobus revelare voluit prae timore.

[2] Illis autem ascendentibus, interrogavit Isaac de victima et vaticinatus est (Abraham) in ascensu eorum ad montem, sicut vaticinatus erat servis quos reliquerat ad radicem montis. *Cum autem alligatus esset Isaac, posuit eum super altare* [2], et evaginavit super eum gladium. Et prohibuit eum angelus Domini; ne crederet Abraham ex aliquo defectu despectum esse sacrificium suum, *dixit ei : Nunc certiorem me fecisti te timere Deum.* Per hunc enim qui est tibi carissimus omnium cognitus est amor tuus ad Dominum omnium.

Duobus igitur se insignivit Abraham : occidendo filium suum etiam non occidens eum, et credendo, post mortem eius illum resurrecturum esse et secum descensurum. Etenim certum erat ei non mentiri illum qui dixerat ei : *In Isaac vocabitur tibi semen.*

[3] *Vidit autem Abraham arietem arbori (haerentem), quem assumens obtulit holocaustum pro filio suo* [3]. Non autem fuisse illic arietem, interrogans Isaac de agno testis est; nec fuisse illic arborem, ligna super humeros Isaac pro certo confirmant. Mons eructavit arborem arborque arietem; ut in ariete, qui ex arbore pendebat et in sacrificium pro filio Abrahae factus est, figuraretur dies illius qui ex ligno, sicut aries, pependit, et mortem pro mundo universo gustaturus erat.

[1] *Gen.*, XXII, 1 ss. [2] *Gen.*, XXII, 9 ss. [3] Cfr *Gen.*, XXII, 13-18.

Dixitque ei secunda vice (angelus) : Per memetipsum iuravi, dicit Deus : multiplicabo semen tuum ... benedicenturque in semine tuo, qui est Christus, *omnes gentes terrae.*

[SECTIO XXI]

[1] Postea mortua est Sara in Hebron, centum viginti septem annos nata, et sepelivit eam (Abraham) in spelunca quam emerat a filiis Heth [1].

* p. 85 * [2] Et post tres annos *dixit Abraham ad servum suum seniorem : Pone manum tuam subter femur meum et iuramento obstringam te ut non accipias filio meo uxorem de filiabus Chananaeorum* [2]. Per pactum autem circumcisionis iuramento obstringebat eum; etenim, quia viderat Deus membrum hoc, quod mundi principes ambo (Adam et Eva) stupraverat, posuit in eo signum foederis ut id quod despiciebatur magis quam omnia membra, magis quam omnia membra honoraretur. Tantum enim honoris affert ei signum foederis in eo positum, ut per illud iurent iuratores et per illud iurare faciant qui petunt iuramentum.

[3] Iuravit autem servus domino suo et abiit cum omnibus bonis, castraque posuit ad puteum et oravit, petiitque signum. Sed etsi de signo facto laetabatur, exspectavit tamen ut videret utrum illa esset ex ipsa prosapia (Abrahae). Ubi audivit autem illam esse filiam Bathuel, filii Nachor, gratias egit Domino intravitque et quievit in domo eorum.

[4] Cum autem narravisset iuramentum quo obstrinxit eum dominus suus et quomodo perfecta esset effectu oratio quam ipse oravit ad puteum, *dixerunt ei Bathuel et Laban : A Domino egressus est sermo tuus et domini tui ... En Rebecca (Rapqa) coram te est : educ eam et proficiscere* [3].

Vocaverunt autem puellam ut ab ea didicerent (voluntatem eius), et quia audiverat de iuramento quo obstrinxit eum Abraham et de oratione quam servus oravit ad puteum et de signo quod petivit et datum est ei, timuit dicere : Non vadam, sciens voluntatem Dei esse ut iret. Profecta est et fuit ad Isaac, et per laetitiam (quae fuit ei)

1 Cfr *Gen.*, xxiii. 2 *Gen.*, xxiv, 2 s. 3 *Gen.*, xxiv, 50 s.

a Rebecca veniente, consolatus est Isaac a luctu matris suae [4] qui fuerat ei per tres annos.

[SECTIO XXII]

[1] Quia autem nulla lex de virginitate et consecratione posita erat, ne unquam concupiscentia in animo iusti maculam faceret, et quia dictum est ei : *Reges gentium ex te egredientur* [1]; et quia dixit Deus de illo : *Ego cognosco Abraham quia praecepturus sit filiis suis et filiis filiorum suorum ut custodiant * mandata mea* [2], * p. 86 (ideo) duxit sibi concubinam post mortem Sarae, ita ut per fidelitatem filiorum suorum plurimorum dispersorum per regiones universae terrae cognitio et adoratio unius Dei propagaretur. Fuerunt illi igitur filii ex Cetura [3], et misit eos cum muneribus in orientem. Mortuusque est (Abraham) centum et septuaginta quinque annos natus et sepultus est apud Saram, uxorem suam [4].

[SECTIO XXIII]

[1] *Benedixitque Deus Isaac* [1]. *Deprecatusque est (Isaac Dominum) pro Rebecca, quae sterilis erat.* Et post viginti annos *exaudivit eum Deus et concepit (Rebecca) et coartati sunt filii eius in utero eius; perrexitque ut consuleret Dominum* et dictum est ei : *Duo populi sunt in utero tuo* [2]. Populi autem sunt Idumaeorum et Hebraeorum. Ad quemnam autem perrexerit ut consuleret diximus supra de Melchisedech tractantes : ad Melchisedech pergebat consultum. Reversa est autem continuo propter dolores ingruentes in eam, peperitque Esau et Iacob.

[2] Viditque Iacob despectum habere Esau ius suum primogenitorum studioseque curavit ut caperet illud ab eo, fretus Deo qui dixerat : *Maior serviet minori. Coxitque Iacob lentes et, ecce, venit de venatione Esau lassus, et dixit ad Iacob : Da mihi gustandum ex rufis hoc rufum* [3], id est : Da mihi gustandum de lentibus tuis lentem unam. *Et dixit ei Iacob : Da mihi primogenita tua* et accipe

4 Cfr *Gen.*, xxiv, 67.
1 *Gen.*, xvii, 6. 2 *Gen.*, xviii, 19. 3 Cfr *Gen.*, xxv, 1-4. 4 *Gen.*, xxv, 7 s.
1 *Gen.*, xxv, 11. 2 *Gen.*, xxv, 19-23. 3 *Gen.*, xxv, 29-30.

tibi omnia. *Iuravitque illi Esau et vendidit primogenita sua. Et (Iacob) dedit ei et comederunt*[4]. Et ut ostenderet Scriptura non propter famem vendidisse Esau primogenita sua, dixit : Postquam comedit, *surrexit et abiit Esau parvipendens primogenita.* Minime igitur propter famem vendiderat ea, quippe qui sibi vilia habebat ut nihil, pro nihilo vendidit ea.

* p. 87

* [SECTIO XXIV]

[1] *Orta est autem fames super terram... et sevit Isaac et messuit illo ipso anno centum coros*[1]. Quia autem timuit rex Abimelech exsulem, *venit ad illum cum Phicol, principe exercitus eius, et dixit ei : Vidimus tecum esse Dominum,* sicut (erat) cum patre tuo, ex hoc quod metis coros centum et ex multis aliis (signis), *et diximus : Ineamus foedus inter nos et te, ut non facias nobis malum* quando multiplicabimini, sicut nec laesimus te, quando pauci fuistis. *Iuraveruntque sibi mutuo et abierunt in pace*[2].

[SECTIO XXV]

[1] *Ubi autem senuit Isaac, caligaverunt oculi eius, et dixit ad Esau : Venare venationem et fac mihi pulmentum et comedam et benedicat tibi anima mea antequam moriar*[1]. Et abiit Esau venatum venationem. Rebecca autem quae audierat, eo consilio ne fierent primogenita Esau adversus verbum Dei qui dixerat : *Maior serviet minori,* hortata est Iacob et ille non consensit, timens ne forte vice benedictionum maledictiones acciperet.

[2] Cum autem (Rebecca) accepisset in seipsam maledictiones, accepit et attulit. Vocavitque patrem suum et dixit illi pater eius : *Quis es tu?* Et dixit : Ego (sum) Esau, feci sicut dixisti mihi. Dubitavit autem Isaac propter vocem, quia timebat ne forte etiam benedictiones suas, sicut primogenita, transferret ab eo. *Dixit ei : Appropinqua, age, tangam te*[2]. Et, quia mendax reputata est vox sincera propter mendacem tactum manuum, benedictus est et abiit (Iacob). Venit Esau et fecit (pulmentum) et vocavit patrem suum.

4 *Gen.*, XXV, 31-33.

1 *Gen.*, XXVI, 1, 12, 26 ss. 2 *Gen.*, XXVI, 28, 31.

1 Cfr *Gen.*, XXVII, 1 ss. 2 Cfr *Gen.*, XXVII, 14, 21.

Stupuit autem Isaac, videns quomodo (ab alio) sub nomine Esau exhaustus est thesaurus benedictionum eius.

Quisnam est ille, ait, *qui venatus est venationem et attulit ad me benedixique ei et etiam benedictus erit*[3]. Non enim potuit Isaac convertere benedictiones suas : primo quia cognovit voluntatem Domini impletam esse, sicut dicta erat * ad Rebeccam; et secundo, quia dixerat ad Iacob : *Qui maledixerint tibi maledicti sint,* timuit maledicere ei, ne forte maledictionibus suis non laederet Iacob, qui benedictus est, at in seipsum converterentur maledictiones labiorum suorum. * p. 88

[3] *Irrugiit autem Esau rugitu magno :* hoc non quia amisit benedictiones spirituales, sed quia privatus est proventibus bonis terrae benedictae. Neque fuit quia exinde non poterat iustificari, sed quia fratres suos non poterat subigere; neque fuit quia non erat hereditaturus vitam immortalem, sed quia non futura erat portio sua terra Chananaeorum. Oditque Esau fratrem suum et (cogitabat) interficere eum; et suasit Rebecca Iacob ut abiret in domum Laban, ne forte per pugnas suas mutuo se interficerent et ambobus eodem tempore orbata fieret.

[SECTIO XXVI]

[1] *Dixit autem (Rebecca) ad Isaac... Et ipse benedixit (Iacob) misitque eum ad uxorem (quaerendam) ad Harran*[1]. Occidit autem sol et (Iacob) pernoctavit ibi; et vice pulvinorum qui in tabernaculo matris suae sternebantur sibi, posuit lapidem ut cervicalia, ingemiscens *et dormivit viditque in somnio suo scalam stantem super terram et cacumen illius tangens caelum et angelos descendentes et ascendentes per eam, et Dominum stantem super eam*[2].

Scalam autem quam vidit, ad ascensum et descensum angelorum viderat. Rursus, in angelis descendentibus ad eum et ascendentibus tempore somni eius, (Dominus) manifeste ostendit ei quantam sollicitudinem haberet eius, qui non tantum ad eum vigilem vigilabat; ecce enim, etiam in somno eius angeli qui praeficiebantur ei, ascendunt et descendunt ad custodiendum eum. Sollicitudinem eius enim secretam quam habet (Deus), per visionem scalae manifeste

3 *Gen.*, XXVII, 33.

1 Cfr *Gen.*, XXVII, 46 ss. 2 Cfr *Gen.*, XXVIII, 10 ss.

ostendit ei. Ille *enim* qui in somno suo credebat se dormire in regione a Deo remota, experrectus et videns quantam sollicitudinem
* p. 89 eius esset in deserto, * dixit : Quasi in domo Dei dormiebam et coram ianua caeli recumbebam.

[2] Et ut ostenderet (Deus) ad eum servandum illos descendere et ascendere, *dixit ei : Ecce, ego tecum sum, ut custodiam te quo perrexeris; et reducam te in terram hanc, nec dimittam te antequam complevero quod dixi tibi. Dixitque Iacob : Vere Dominus est in hac regione, qui custodit me et ego nescivi*[3]. Oleum autem quod effudit super titulum, aut secum habebat aut ex ipsa civitate attulerat. *Oleo* autem quod effudit super lapidem, symbolum Christi in illo adumbrati figurabat.

[3] *Et vocavit nomen regionis Bet-El,* id est domus Dei, sicut antea vocaverat eam. *Et vovit votum super petram, quia si fuerit Deus mecum dederitque mihi panem et vestimentum, hic lapis erit mihi domus Dei et cuiuscumque dederis mihi decimas dabo tibi*[4]. Rursusque in petra mysterium Ecclesiae significabatur, per quam vota et oblationes omnium gentium venturae erant.

[SECTIO XXVII]

[1] *Abiit autem Iacob*[1] et declinavit ad puteum viditque Rachel pastum agentem, quae pedibus suis nudis et vestitu austero vultuque a sole adusto, a titione nigrescenti, e foco extracto, nullo modo dissimilis erat. Cognovit illum (Deum), qui paravit Rebeccam pulchram ad fontem, eumdem parasse Rachel in austeritate ad puteum. Fecit autem rem grandem coram ea, qui revolvit, per Filium in se latentem, lapidem vix a multis sublevandum. Et postquam despondit eam Deo per miraculum, tunc denuo spopondit eam sibi, per osculum.

[2] *Laboravit autem (Iacob) pro ea septem annis*[2] et ubi impleti sunt dies, decepit eum Laban et introduxit ad eum Liam in loco Rachel. Laban, — etsi propter deformitatem Liae, quam per septem annos desponsationis Rachel nullus (ducturus) spopondit, — hoc
* p. 90 dolose egit, tamen etiam quia viderat * quantum benedicta fuisse

[3] *Gen.*, XXVIII, 15-18. [4] *Gen.*, XXVIII, 19-22.
[1] Cfr *Gen.*, XXIX, 1 ss. [2] *Gen.*, XXIX, 20.

pecora sua per septem annos quibus Iacob pascebat; studuitque ut ille serviret ei denuo pastor, ita ut alio septennio, quo durante serviturus erat ei propter Liam, duplicaret pecora idem qui acquisierat (ea) septem annis prioribus.

[3] Cepit autem praetextum habitatores loci, *dixitque : Non sic fit in regione nostra, dare minorem ante seniorem.* Et tunc proposuit quod consilium inierat *dixitque ei : Perfice convivium huius, et dabo tibi etiam Rachel pro opere quod operaturus es mihi septem annis aliis*[3]. Congregavit autem apud se Laban incolas loci et persuaserunt ei; et ne, manente Lia in domo Laban idololatrae, idololatriam amplecteretur ibi semen iusti, et ne Rachel uxorem suam defraudaret — sponsa enim viri uxor eius est —, duxit unam ne perfide ageret in eam, alteramque ne peccaret in eam et in prolem eius. Si autem (Laban) non denegavisset Rachel ab eo, et si dixisset ei : Labora mecum septem annis pro Lia, per septem dies non consensisset laborare pro illa, non autem quia deformis erat (Lia), sed maritum duarum esse aversabatur.

[SECTIO XXVIII]

[1] Peperit autem Lia Ruben et Simeon et Levi et Iudam *cessavitque parere*[1]. Rachel autem sterilis, quae audivit a Iacob oravisse Abraham pro Sara sterili et exauditum esse et petiisse Isaac pro Rebecca, et exauditum esse, credidit, quia non orasset pro eo (Iacob) non apertum esse uterum clausum, et propter hoc irascens et plorans, dixit ei : *Da mihi filios, alioquin moriar.* Cum autem iratus esset in eam (Iacob) eo quod dixit : *Da mihi filios,* nec dixit : Ora ut dentur mihi filii, erudivit eam : Etsi patres mei exauditi sunt, tamen Abraham post centum (annos) exauditus est, et Isaac post viginti. Et ubi didicit ab eo patientiam longam fore sibi necessariam, infinito taedio affecta, *dixit ei : Ingredere igitur ad ancillam meam et pariet super genua mea et consolationem ex ea habeam*[2]. * p. 91
* Cum autem (responsum) adduxisset ei : « Abraham accepit Agar et fecit voluntatem Sarae, quia diligebat eam, tu autem non persuasus es a me, quia odisti me », ne quotidie defatigaret eum filios

[3] *Gen.*, XXIX, 26-27.
[1] Cfr *Gen.*, XXIX, 31-XXX, 1 s. [2] *Gen.*, XXX, 3.

petens ab eo, (Iacob) consensit ducere extraneam, ille qui de domo patrum suorum ad filiam Laban ducendam missus erat; attamen, ut etiam hereditarent filii ancillarum cum filiis liberarum duxit ancillas et liberas. Duxit igitur Balam quae concepit et peperit Dan et Nephtali.

[2] Rursus Lia videns quia cessaverat parere, ursit etiam Iacob ut ingrederetur ad ancillam suam. Ille autem persuadens eam : Tibi, ait, tibi est consolatio, quia filios habes; quae dixit ei : Non iustum est ut laboret ancilla mea servitium ancillae ad conservam suam. Quia fecisti me cosponsam ancillae Rachel, fac etiam Rachel cosponsam ancillae meae. Ne igitur contristaret Liam, et ad tollendum dissidium inter sorores, consensit propter pacem domesticam, ingressusque est etiam ad Zelpham, quae concepit et peperit Gad et Aser.

[3] Postea *reperit Ruben mandragoras in agro quas attulit ad Liam*[3]. Mandragorae, dicunt, sunt plantae ferentes fructus similes malis, odoriferos et etiam edibiles. Per illas autem mandragoras prae laetitia condita fide, Lia conduxit illa nocte Iacob. Scriptum est enim : *Exaudivit Deus Liam quae concepit peperitque Issachar et Lia dixit : Dedit mihi Deus mercedem meam, quia dedi ancillam meam marito meo*[4]. Si autem non esset ex voluntate Dei ducta etiam Zelpha, nullam mercedem reddidisset (Deus) Liae pro Zelpha. Concepit autem Lia et peperit Issachar et Zabulon et Dinam, sororem illorum.

Deus autem recordatus est etiam Rachelis, quae peperit Ioseph. Dixitque : Certior facta sum quia addet mihi Dominus[5], non autem maritus meus.

[SECTIO XXIX]

[1] *Postquam natus est Ioseph, dixit Iacob ad Laban : Da mihi uxores meas et filios meos, pro quibus servivi tibi ut abeam*[1].
* p. 92 Laban autem, non quod * diligeret Iacob sed semetipsum, *dixit : Experimento didici Dominum benedixisse mihi propter te, sed constitue tibi mercedem tuam et dabo.* Consensit autem Iacob quia nondum illi concessa erat a Deo venia abeundi. Deus, qui viderat Laban

3 *Gen.*, xxx, 14. 4 *Gen.*, xxx, 17 s. 5 *Gen.*, xxx, 22 ss.
1 *Gen.*, xxx, 25 ss.

fraudantem mercede sua illum cui iuraverat : *Ego descendam tecum et ego ascendere te faciam exinde*, ex ipsius Laban pecoribus locupletavit Iacob, qui nullo modo laeserat Laban.

[2] Expertus est Laban ipse multiplicari in pecore suo oves cornibus destitutas aut sparso vellere, ut disceret Deum esse cum Iacob et desisteret malefaciendo ei. Cum autem iniuria afficerent Iacob ipsi filli Laban, sicut Laban, dicerentque de illo qui ditavit eos : *Ex patris nostri pecunia dives factus est;* et ille *qui dixerat : Experientia didici benedixisse mihi Dominum in vestigio tuo,* mutatus est corde et facie erga (Iacob) et (ideo) apparuit Deus ad Iacob et dixit ei ut reverteretur in domum patris sui, et vocavit Rachel et Liam dixitque eis : Pater vester *cui servivi omnibus viribus meis, mutavit mercedem meam decem vicibus nec dimisit eum Deus ut mihi noceret*[2], quia omnes fraudes eius in seipsum reversae sunt. *Si enim stipulabat mihi (fore agnos) cornibus destitutos,* credens oves non parituras (agnos) cornibus destitutos, *plurimi agnorum cornibus destituti erant, et iterum si stipulabat mihi fore versicolores,* credens paucos fore versicolores pariendos, *pariebant omnia pecora versicolores (agnos).*

[3] *Dixeruntque ei Rachel et Lia : Nullam partem habemus in domo patris nostri*[3], qui filiis suis dat quidquid habet, *qui autem vendidit nos et comedit pretium nostrum,* consumens vires tuas per quattuordecim annos quibus laborasti propter nos. *Verumtamen quid dixerit tibi Dominus fac,* paratae sumus enim ire tecum die quo mittet te.

[4] Surripuit autem Iacob cor Laban et Rachel deos eius. Veneruntque ad montem Galaad, et persecutus est eum Laban et consecutus est. *Et apparuit Dominus ad Laban in somnio, dicens ei: Cave ne quidquam loquaris contra Iacob*[4], a magno usque ad minimum. Non potuit tamen Laban dissimulare duritiam suam et dixit : *Valet*
* *manus mea malefacere vobis, Deus autem patrum tuorum impe-* * p. 93
divit me vespere... sed deos meos cum filiabus meis quare furatus es[5], et fugisti?

Recte autem dilexit Iacob Rachel, quae Deum eius dilexit et patris sui idola despexit; non autem in hoc tantum quod furata est

2 *Gen.*, xxxi, 1 ss. 3 *Gen.*, xxxi, 14 ss. 4 *Gen.*, xxxi, 24. 5 *Gen.*, xxxi, 29 s.

illa : despexit ea sicut res nullius utilitatis, sed sedem menstruatae fecit ea die quo quaesita sunt. Laban autem non sat habuit ut prius rogaret deos suos mane, post apparitionem sibi factam Dei veritatis ad vesperam, sed etiam illud quod dixerat : Locupletasti me quia *mihi benedixit Dominus in vestigio tuo,* subvertit dicens : *Oves, oves meae sunt et quodcumque heic cernis meum est; veni autem foedus ineamus et sit testis inter me et te*[6].

[5] Etenim, quoniam obiurgabant se mutuo, — Iacob (quidem) dixit : *Laborem meum et defatigationem manuum mearum,* quo a te defraudatus sum, *respexit Deus*[7], (ideo) apparuit tibi ad vesperam, Laban autem dixit : *Oves, oves meae sunt et quodcumque cernis meum est,* — (ergo) dicunt : *Demissa sunt omnia quae usque ad hoc foedus facta sunt.*

Et tulit Iacob lapidem quem erexit in titulum; et attulit unusquisque lapidem suum et fecerunt aggerem magnum : « Ut agger qui fit a pluribus testis sit sicut ex ore plurium contra eum qui mutaret aliquid in foedere quod pepigimus coram plurimis ». *Ecce hic testis est agger,* eo quod, ecce, testimonium dant illi qui fecerunt aggerem hunc : « Neque tu neque ego mutabimus quidquam in foedere quod pepigimus hunc aggerem colligentes ».

[6] Ut autem nosceretur hunc aggerem aedificatum esse tantum in testimonium quod ex hoc tempore et deinceps, nullus se converteret contra socium suum, dictum est : *Iuravit Iacob per Timorem patris sui Isaac*; Laban quoque dixit : *Deus Abraham et Deus Nachor iudicent inter nos*[8].

[SECTIO XXX]

[1] Postquam autem seiuncti sunt ab invicem, accesserunt angeli Dei ad Iacob ut eum certiorem etiam facerent quia : « Si Laban non
* p. 94 audivisset * Deum qui apparuit ei ad vesperam, ecce, occisus fuisset diluculo per manus angelorum custodientium te, ille et quicumque erant cum illo. » Sicut enim (Deus) ostendit Iacob descendenti angelos comites eius, ostendit angelos illi etiam ascendenti ut certiorem faceret eum verum esse verbum quod dixit illi : *Ego tecum descendam (illuc) et ego exinde ascendere te faciam*[1]. Castra autem

6 *Gen.*, XXXI, 43. 7 *Gen.*, XXXI, 42. 8 *Gen.*, XXXI, 45-54.
1 *Gen.*, XLVI, 4 (vice XXVIII, 15).

angelorum ostensa sunt ei ne timeret Esau, cum plures essent comites eius quam illi qui erant cum Esau.

[2] Postea misit nuntios ad Esau, fratrem suum et seipsum excusavit de mora sua. Audiens autem cum quadringentis viris illum venire in occursum suum, timuit. Et si Deum oravit ut recordaretur pactum quod inierat secum, dum descendebat, tamen ad fratrem suum misit oblationem reconciliationis ne recordaretur (Esau) iniuriam quam intulerat ei die quo surripuit benedictiones ab eo.

[3] Hac autem ipsa nocte apparuit ei angelus et cum eo luctatus est : vicit autem angelum et victus est ab angelo, ut disceret quam esset debilis et quantum potens : debilis ille cuius coxam tetigit angelus et luxata est; potens autem ille cui dixit angelus : *Demitte me.* Et ut ostenderet quantum temporis se (mutuo) apprehenderent, dixit ei : *Ecce, iam ascendit aurora*[2]. Petiit autem Iacob ut (ab eo) benediceretur, ut significaret cum amore illos se invicem excepisse. Benedixitque illi etiam angelus ut ostenderet se non iratum esse eo quod superatus est a terreno.

[4] Deus autem quodcumque pollicitus est Iacob perfecit. Locupletavit eum enim, sicut dixerat ei, descenditque cum eo et ascendere fecit eum, sicut pollicitus erat ei. Eripuit eum etiam a Laban et ex fratre eius servavit eum. Iacob autem qui votum Deo voverat descendens, loco decimas dandi Deo, sicut pollicitus erat, ad Esau misit prae timore collecta. Hanc ob (causam) luxata est (mutata) coxa eius, quia mutaverat verbum suum. Et ille qui hac ipsa hora contra virtutem ignei angeli praevaluerat, coram Esau sine dolore claudicanter stabat.

* [SECTIO XXXI] * p. 95

[1] Postea venerunt et castra posuerunt ad Sichem, *et Sichem, filius Hemor, vidit Dinam, filiam Iacob et rapuit eam stupravitque eam*[1]; et petierunt filios Iacob ut eam sibi darent in uxorem. Decipientes autem eos filii Iacob petierunt ut circumciderentur (filii Sichem) et postea daturi erant eam illis. Aggressi sunt autem eos, nesciente patre suo, die quo vehementiores erant dolores eorum, et

2 *Gen.*, XXXII, 26.
1 Cfr *Gen.*, XXXIV.

occiderunt masculos et feminas eorum captivas duxerunt, bona eorum spoliaverunt.

[SECTIO XXXII]

[1] *Postea dixit Deus ad Iacob : Surge, ascende Bethel et fac altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas a conspectu fratris tui. Dixitque Iacob filiis suis : Abicite deos alienos,* quos eripuistis a Sichem spoliatos; *attuleruntque ad eum idola conflatilia inauresque auri* quae in auribus idolorum suorum positae sunt, *et infoderunt ea sub terebintho* [1], ne forte scandalum posteris Iacob fierent. *Et venit Iacob ad Isaac, patrem suum ... in Hebron* et post viginti et tres annos *mortuus est Isaac, centum octoginta annos natus. Et Iacob et Esau, filii eius, sepelierunt eum* [2].

[SECTIO XXXIII]

[1] *Et Ioseph pascebat oves cum filiis* concubinarum *et detulit famam pessimam eorum ad patrem eorum.* Et quia patefecit actiones eorum, *odio habuerunt eum* [1]. Somniavitque somnium, prius manipulorum, alterumque solis et lunae et stellarum undecim adorantium eum. Et propter somnia eius etiam vehementiore odio habuerunt eum. Irriserunt autem somnia eius et dixerunt : Quomodo Rachel, quae mortua est, veniet et adorabit eum? Quia autem dictum est virum et uxorem suam unum esse corpus, Iacob, quem sol significat, quando adoravit caput sceptri eius, in illo adoravit Rachel, quam luna significat, etsi non adoravit ipsa.

* p. 96 * **[2]** Misit autem eum Iacob ad pecora ut referret sibi salutem fratrum eius. Illi autem per tunicam cruore pollutam miserunt ad eum infaustum nuntium de Ioseph. Proieceruntque eum sine misericordia in cisternam deserti, et domi effundere fecerunt lacrimas super eum. Vendiderunt eum nudum Arabibus et fleverunt super eum cum clangoribus ante oculos Chananaeorum. Proiecerunt vincula ferrea in manus pedesque eius et miserunt eum in viam; at componebant lamentationes super eum in terra culta [2]. Descendit autem in Aegyptum et venditus est et paucos inter dies bis dominum mutavit.

1 Cfr *Gen.*, xxxv, 1-4. 2 Cfr *Gen.*, xxxv, 27-29.

1 *Gen.*, xxxvii, 2 ss. 2 Vel : in pace.

[SECTIO XXXIV]

[1] Postea duxit uxorem Iudas genuitque ex ea Her, Onanque et Sela. Duxitque Her, primogenitus eius, Thamar uxorem [1]; et quia nequam erat coram Domino, id est, quia iniquus erat coram Domino, (Deus) mori eum fecit. Rursus, frater huius, etsi prae amore Thamar duxit eam, prae odio tamen suo erga fratrem suum, fratri suo semen suscitare nolebat. Denuo cum, propter artificium acerbum quod invenit secundus ille, occidisset eum (Deus), suspecta est Thamar fuisse peccatis suis (causam) amborum virorum suorum mortis, et Iudas dimisit eam ad domum patris eius exspectantem ut cresceret Sela cui ipsa daretur.

[2] (Sela) autem iuvenescente, cum noluisset Iudas iterum adducere eam in domum suam, (Thamar) cogitabat : Quonam pacto notum fiet Hebraeis istis me non coniugium esurire, sed benedictionem in eis inditam concupiscere? Per Selam notum (hoc) facere possum quidem, sed ope Selae non possum fidelitatem meam ad triumphum ducere. Necessarium mihi est igitur per Iudam notum facere (hoc), ut thesauro quem concipiam locupletem faciam paupertatem meam, et viduitate quam servabo cognoscetur me non coniugium concupivisse.

[3] Quia autem timebat ne forte (Iudas) cognoscens eam occideret, in vindictam duorum filiorum suorum in quorum morte suspecta habebatur, petiit, sicut Eliezer, signum dixitque : Quia scientia tua de opere * concupiscentiae me non condemnat, — cognoscit * p. 97 enim me hoc sitire quod in Hebraeis absconditur, — illud autem utrum tibi sit acceptum, annon acceptum sit tibi, nescio ego, da mihi ut illi videar ut alia, ne occidat me, et ut inveniatur in ore eius verbum scortationis, satis mihi erit ut sciam placitum esse tibi effluere etiam per filiam incircumcisorum thesaurum in circumcisis absconditum. Fiat igitur ut tempore quo videbit me dicat mihi : Veni ingrediar ad te.

[4] Illa autem haec a Deo petebat et ecce, Iudas exiens vidit eam et, contra consuetudinem suam, ad meretricem oratio Thamar deduxit eum. Etsi, eo tempore autem quo vidit eum, cooperta erat (facie) prae timore, tamen postquam enuntiata est in ore eius

1 Cfr *Gen.*, xxxviii.

verbum signi quod petierat (a Deo), intellexit ipsum Deum velle id quod faciebat; faciem suam igitur sine metu exinde ostendit et mercedem suam a domino thesauri petiit.

[5] Postquam autem spoliavit virum a baculo suo anuloque et linteo, et cepit (ea) ut testes tres qui testificarent de (Uno ex) Trino, qui traducendus erat per eam, coniuncta est cum eo et rediit in domum patris sui.

Post tres autem menses auditum est a Iuda fornicasse Thamar, et ex stupro, ecce, concepit. Postquam autem misit et illam audivit nullam excusationem habere, iussit illam comburi. Ubi autem convenerunt habitantes Hebron civitatis, vestigia (sequentes) illius quae comburenda exibat, (Thamar) protulit testes suos et per cognatos suos ad socerum suum misit, proferens ad eum : *Vir cuius haec sunt, de eo concepi.* Et statim ac vidit Iudas pignora sua, fidelitatem mulieris miratus est; extendens autem manum suam ut reciperet ea, ad tempus quo ea dederat, respiciebat.

[6] *Dixit autem : Innocentior me est illa,* id est, eo innocentior me est illa, quanto magis peccaverunt filii mei; *ideo non tradidi eam Selae, filio meo,* secundum quod iustum erat, ex mala suspi-
* p. 98 cione * in quam mihi venerat, et prohibui a Sela, filio meo, eam quam defraudavi a coniugio : insons declarata est in scortatione sua et quam eiecerat propter duos filios suos priores denuo introduxit propter duos filios suos posteriores. Non autem fuit cum ea quae uxor fuerat duorum filiorum suorum priorum, neque etiam alteram duxit cum ea, quae mater erat duorum filiorum suorum posteriorum.

[SECTIO XXXV]

[1] Postquam autem venditus est Ioseph ad Putiphar, qui et ipse locuples factus est, Ioseph gratia, sicut Laban (fuerat) patris Ioseph gratia, dilexit eum hera eius *et dixit illi : Dormi mecum* [1]. Cum autem fessa esset machinando, nec audisset eam (Ioseph), introduxit eum artificiose in conclave ut vinceret eum. Postquam autem apprehendit eum vestimento eius, ipse reliquit illud in manu eius et fugit foras. Quia autem credidit (mulier) se ludibrium fore

[1] Cfr *Gen.*, XXXIX.

servis suis, clamavit alta voce et convenerunt domestici sui ut essent ei testes, non illius quod facere volebat, sed quod dicere intendebat.

[2] Ioseph autem, qui fugere poterat, et sic venire in domum patris sui, odit fugam quae salvaret eum a probro et perstitit dum videret quem exitum habitura essent somnia quae viderat.

[3] Venit autem herus eius audivitque verba herae eius et testes verba eius corroborantes; rursus vidit vestimentum Ioseph quod contra Ioseph erat; et detrudit eum sine vestimento eius in carcerem, sicut proiecerant eum (fratres eius) in cisternam deserti, sine tunica eius.

Solatium autem quod habebant servi domini eius, dum ipse erat in domo domini eius, venit ipsum apud captivos dum ipse in carcere reclusus est.

Rursus interpretatus est duobus servis pharaonis duo somnia eorum; et unus crucifixus est die quem dixit ei Ioseph, alterque dedit calicem manibus pharaonis, sicut interpretatus erat ei. Petiit autem Ioseph principem pincernarum ut mentionem sui faceret coram pharaone. Hoc autem ipsum dictum : Memento mei, fecit illum oblivisci per duos annos.

[4] Rursus vidit pharao somnia duplicia, spicarum et vaccarum, et * quamvis facilis omnibus erat interpretatio eorum, etiam sapien- * p. 99
tibus pharaonis celata est, propter Ioseph, explicatio eorum. Statim autem ac mentionem eius fecit coram pharaone, post duos annos, misit ad eum adducendum. Capillum, qui prolixus factus est in angore eius, laetitia totondit; vestibusque sordibus quas induerat ei tristitia, laetitia exuit eum.

[5] Statim ac venit Ioseph et audivit somnia pharaonis, vidit quoque quantas angustias impendentes esse in Aegyptios, et dixit eis interpretationem veram addensque dedit consilium opportunum. *Provideat pharao virum sapientem cui auctoritatem tradat in universam Aegyptum, ad colligendum frumentum annorum bonorum,* quod expendatur per septem malos annos; *ne fame pereat universa Aegyptus.*

Illud autem quod dixit : *Provideat pharao virum,* de seipso dixit. Sub nomine suo non dixit seipsum aperte, modeste se gerens; nec alii tribuit, quia ipse sciebat similem sibi qui curam adhiberet de calamitate magna quae ventura erat in eos, nullum esse.

Magnus apparuit oculis pharaonis ob interpretationem somniorum eius, et praesertim propter consilium opportunum quod invenit ingenium eius.

[6] Dedit autem illi pharao auctoritatem in omnem suam dicionem et amplius anulum quo obsignabantur gazae regiae; ille enim qui nunquam manibus Aegyptiorum impositus erat, laetanter de manu pharaonis susceptus est et digito Ioseph positus est. Anulo enim qui datus est illi, auctoritas universalis data est ei.

Ego, pharao iussi : absque tuo (imperio) nullus elevet manum suam aut pedem suum in omni terra Aegypti. Cum omnibus igitur qui summissi sunt illi, etiam duces exercitus et optimates regis summissi sunt ei.

[7] Herus autem Ioseph ibi erat ea hora qua somnia pharaonis interpretata sunt. Videns autem eum throno tantum minorem esse pharaone, abiit festinanter in domum suam et dum ingreditur ad
* p. 100 annutiandum uxori suae * elevationem Ioseph, festinatione sua simillimus erat eidem uxori suae occurrenti ad Ioseph accusandum. Dixit autem illi : Ioseph, servus noster, factus est dominus noster; et ille quem misimus inclusum sine vestimento, ecce, pharao induit ei vestimentum byssi; et ille quem praecipitavimus in carcerem, ecce sedet super currum pharaonis; et ille quem constrinximus ferreis (catenis), monile aureum positum est ad collum eius. Quomodo igitur iterum aspiciam eum quem oculi mei aspicere non possunt?

[8] Dixit autem ei (uxor eius) : Ne timeas quem non laesisti. Ille enim opprobrium sibi illatum in domo nostra, utrum iuste an iniuste, certior est illud manibus meis propriis illatum esse. Perge igitur sine timore, cum magnatibus et ducibus exercitus qui sequuntur currum eius, ne credat nos tristari de elevatione eius. Et ut ostendam tibi illum non esse malum, ecce hodie dicam ego veritatem quae est contraria mendacio meo priori.

Ego diligebam Ioseph tempore quo laesi eum; et ego invasi in eius vestimentum, quia victa eram a splendore eius. Si iustus est, me molestia afficiet, non te; attamen, si iustus est, nec me molestia afficiet, quia nisi laesissem eum, nec incarceratus fuisset, et si incarceratus non fuisset, somnia pharaonis non interpretatus esset, et ad hanc magnitudinem quam narrasti mihi non evenisset. Etsi non nos certe exaltavimus eum, (res est) quasi nos exaltavimus eum

quia deprimentes eum, nostri causa glorificatus est, et factus est secundus a rege.

[9] Abiit autem herus (Ioseph) et cum (aliis) maioribus se post currum Ioseph per fora Aegypti ambulabat. Nullum autem malum fecit ei Ioseph, sciens eum (Deum) qui permisit fratribus suis ut proicerent eum in cisternam deserti, ut de cisterna in Aegyptum ipse cum (catenis) ferreis mitteretur, eumdem permisisse hero suo ut mitteret eum in carcerem ut de illo situ humiliato super currum pharaonis collocaretur.

* [SECTIO XXXVI] * p. 101

[1] *Egressus est Ioseph ad colligendum frumentum* [1], et in unoquoque vico, secundum proventum eius annualem colligebat. Ubi autem transierunt anni boni, et venerunt (anni) famis, curam gessit Ioseph de orphanis et viduis omnibusque pauperibus qui erant in Aegypto, ut nulla esset sollicitudo in Aegypto.

[2] Haec autem fames si in Aegypto tantum fuisset, Aegyptus propter frumentum Ioseph non conturbata fuisset; per totam autem terram fuit fames et quia egebat Aegypto universa terra, rarum factum est et pretiosum frumentum Aegyptiis; parvo enim pretio comedissent illud propter abundantiam eius, si terra universa non descendisset ad emendum ab ea. Et ad significandum universam terram esuriisse, dictum est : *Universa terra venit in Aegyptum ut emerent a Ioseph, quia invaluerat fames in universa terra* [2].

[3] Dominante autem fame etiam apud Iacob, *dixit Iacob filiis suis : Ne timueritis, ecce, audivi frumentum esse in terra Aegypti. Descendite, emite nobis ut vivamus et non moriamur* [3]. Hoc autem (verbum) quod dixit : *Ne timueritis,* ipsum indicat quantum timerent; et : *Audivi esse frumentum,* propterea quod ab universa terra defecerat frumentum; et : *Emite nobis ut vivamus et non moriamur,* quia pro certo habebant se cum universa terra Chanaan fame perituros esse.

[4] *Venerunt autem fratres Ioseph et adoraverunt eum super facies suas (prostrati) in terra et cognovit eos* [4]. Et ille qui antea anxius erat quandonam essent descensuri ut caperent sibi frumen-

1 Cfr *Gen.*, XLI, 47 s. 2 *Gen.*, XLI, 57. 3 *Gen.*, XLII, 1 s. 4 *Gen.*, XLII, 7 ss.

tum, — sciebat enim illos etiam cum omni (terra) Chanaan angustiis affectos esse, — et videns eos, dolo usus est cum eis et acerbe tractavit eos *et dixit : Exploratores estis.*

Responderunt autem dicentes : Nec etiam linguam aegyptiacam cognoscimus ut (possimus) dissimulare nosmetipsos et furari consilia Aegyptiorum. Et nos terram Chanaan habitare, potes a teipso * p. 102 * discere ex oblatione nostra. Rursusque duodecim sumus, nec possibile est omnes nos unam voluntatem malam habuisse ut (essemus) exploratores; et quod voluntarie venimus et stamus coram te, hoc etiam testatur nostram sinceritatem. Quia certe linguam aegyptiacam nescimus et speciem Aegyptiorum non induimus, patet etiam nos exploratores non esse. Duodecim enim sumus, qui ubique propter gentem nostram et multitudinem nostram cogniti sumus. Ecce autem, unus frater noster est apud patrem nostrum alterque non est (amplius).

[5] Videns autem Ioseph somnia sua hucusque nondum perfecta esse, — undecim enim stellas adorantes eum viderat, et heic decem erant, — se dissimulavit ab eis ne, si manifestus factus esset, ipse falsa faceret somnia sua. *Dixitque illis : Per hoc experimentum fiet vestri num vere fratres sitis, si fratrem vestrum minimum mittentes adducitis ad me. Coniecitque eos in carcerem per tres dies*[5], ut gustarent ipsi id quod passus est per plures annos ibi reclusus.

[6] Postquam consideravit Ioseph somnia sua, et vidit futurum esse ut bis adorarent eum, sub (figura) manipulorum scilicet et stellarum, sensit ideo conveniens fore ut secunda vice manifestaret se illis. Adduxit et vinxit Simeonem ante oculos eorum, ut disceret ab eo quomodo docuissent patrem suum de Ioseph et etiam eo quod sciebat futurum esse ut filii Simeonis et uxor Simeonis urgerent ut citius Iacob mitteret Beniamin. Forsan autem hic ipse acerbior fuerat ad Ioseph eo tempore quo vinxerunt eum. Non autem vindictam quaesivit ab eis ille qui manifestans se eis osculo amplexus est eos; sed ut, vincto prae omnibus illo qui curam adhibuit ut vinceretur Ioseph, scirent illum iustam mercedem accepisse. Sed etiam dixerunt ipsi : *Merito debebamus ista pati, quia vidimus fratrem nostrum deprecantem nos in angustiis et non miserti sumus illius*[6]. Postquam autem Ruben dixit ea quae facta sunt, praesente Ioseph,

[5] *Gen.*, XLII, 15-17. [6] *Gen.*, XLII, 21.

et ipso absente coniecisse eum (Ioseph) in cisternam, Ioseph recordatus est flevitque, minime quidem eo quod sic egerunt sibi fratres sui, sed quia Deus exinde illuc ascendere fecit eum.

* [SECTIO XXXVII] * p. 103

[1] (Fratres) autem, viatico muniti ascenderunt et narraverunt patri suo mala quae passi sunt in hac via, et quia ludibrio fuerunt in Aegypto ob exploratorum calumniam qua affecti sunt, et quomodo nisi Beniamin causa, non egressi fuissent ex hoc quod passi sunt. Quibusdam autem ex illis haec narrantibus coram patre suo, alii sarcinas suas effundebant, et ecce, argentum uniuscuiusque eorum inventum est in ore sarcinae suae.

[2] Angustia autem affectus est Iacob propter ea quae facta sunt eis, praesertim vero propter Simeonem incarceratum. Et quotidie flagitantibus illis ut secum mitteret Beniamin, (Iacob) prae timore Ioseph non consensit.

Tandem consumpto frumento eorum et omnibus domesticis eius fame deficientibus, accesserunt ad eum filii eius omnes et dixerunt ei : Miserere Simeonis propter filios Simeonis, et esto absque filio tuo minimo per paucos dies propter uxorem Simeonis, ne Simeone orbetur.

[3] Coactus autem fame, ille qui nonnunquam volebat, nonnunquam nolebat mittere cum eis Beniamin, viatico munitos misit eos cum benedictionibus et dixit : *Sicut orbatus sum Rachel, ecce orbatus sum filiis Rachel.* Consolatus est autem Iudas patrem suum et dixit : *Nisi reduxero Beniamin et stare eum fecero coram te, peccati reus sum in te omnibus diebus*[1]. Ceperunt autem de bono terrae opobalsamum et nuces pistaciae, id est terebinthi, cum ceteris, *descenderuntque et steterunt coram Ioseph* qui iussit oeconomum suum intra domum Ioseph collocare eos.

[4] Illi autem videntes servos Ioseph festinanter desternere iumenta sua et adducere sarcinas, anxii inter se dicebant : Patrem nostrum orbavimus Beniamin, et nos faciem patris nostri rursus non videbimus. Fraude enim positum est * argentum nostrum in * p. 104 ore sarcinarum nostrarum, ut si effugimus (calumniam) illam de

[1] Cfr *Gen.*, XLIII, 8 ss.

exploratione, retineant et faciant nos servos propter hanc aliam de furto. Confiteamur autem coram oeconomo de argento priusquam ipse incipiat nos criminari, ut Beniamin, frater noster, vindicet nos a (calumnia) de exploratione, et confessio labiorum nostrorum a furti (crimine).

[5] Accesserunt autem ad oeconomum Ioseph et dixerunt ei : Abeuntes prima vice, *aperuimus saccos nostros, et ecce argentum uniuscuiusque in ore sacci sui. Ecce autem redhibemus illud ad te* [2] quia iniustum esset pretium frumenti cum frumento nos capere. Ille autem videns eos tantum territos, confortavit eos *dixitque : Pax vobis. Ne timueritis. Non enim propter argentum quod intravit apud me,* introduximus vos; propter sinceritatem inventam in vobis, in vos benevoli sumus; nec ut iudicium subeatis de re, quam non surripuistis, intratis vos qui ad recumbendum et comedendum coram eo invitati estis. Iustus est enim dominus noster, et hoc honore quem rependit super vos secunda vice (adventus vestri), vult vos oblivisci iniuriae illatae vobis vice priore.

[6] *Intrante autem Ioseph domum suam, attulerunt ei oblationes et adoraverunt* : et ipsi conturbati. *Salutavit autem eos* [3] : et confortati sunt. Interrogavit autem eos de patre eorum an viveret : et quietati sunt. Interrogavitque etiam de fratre eorum, num ille ipse esset, et benedixit ei *et dixit : Deus misereatur tibi, fili mi :* et ablatus est omnis timor ab animo eorum. In lingua autem aegyptiaca benedixerat ei, et per interpretem audierant verba priora.

[7] *Commota sunt autem viscera eius super fratribus suis et flens introivit in cubiculum suum,* ut faceret eis allevationem. Recubuit autem ipse solus, et Aegyptios fecit recumbere; et fratres suos recumbere facere incepit, quasi per scyphum (augurii magici), *primogenitum iuxta primogenita sua et minimum iuxta iuventutem suam* [4]. Mirabile autem est hoc, fratres eius non cognovisse eum ex muneribus, redhibentem eis argentum eorum, prima vice; neque ex retentione Simeonis, neque ex Beniamin reditu, neque ex interrogatione de patre eorum sene, aut ex ipsius iudicio de eorum calum-
* p. 105 nia, neque etiam ex hoc quod excepit * eos in domum suam et benedixit Beniamin; neque ex hoc quod cognovit nomina eorum omnium; praesertim quia aspectus eius etiam quam simillimus erat,

[2] *Gen.*, XLIII, 21 s. [3] *Gen.*, XLIII, 26 ss. [4] *Gen.*, XLIII, 30-33.

etiam si magnitudo eius decipiebat eos, poterant somnia eius recordari. Si autem propter magnitudinem eius et dignitatem eius et linguam eius duram non cognoverunt eum, tamen et a Domino factum est ut occultaretur (Ioseph) ab eis usque dum (effectu) complerentur omnia somnia eius ab illis qui vendiderant eum, ut falsa redderent ea.

[SECTIO XXXVIII]

[1] Postquam autem comederunt et biberunt et inebriati sunt, mane ad iter accincti sunt, — posito calice (Ioseph) in sacco Beniamin et iterum argento omnium in saccis omnium, — egressus est oeconomus et apprehendit eos, et refudit in aures eorum comminationes quales a domino iussus est dicere.

[2] Illi autem fiducia sinceritatis suae freti, dixerunt : *Ille apud quem calix repertus erit, moriatur et omnes nos servi erimus. Extemplo autem singuli deposuerunt sarcinas suas ... incepitque etiam oeconomus explorare a sarcina Ruben* [1] et non invento (calice) in sarcinis prioribus, indignatus est in angoribus, eo quod non posset in regione amplius habitare.

Consolati sunt autem eum fratres Ioseph et dixerunt ei : Explora etiam sarcinam (fratris) minimi et velociter regredere quia domi, illic, invenies calicem domini tui. Ille autem, quasi faciens voluntatem virorum, extendit manum suam ad saccum in quo scyphus non est et voluit negligere illum in quo est. Postquam autem adiuravit eum Beniamin, ut etiam in hoc (suo sacco) quaereret, proiecit manum suam negligenter et extulit ipsum scyphum veraciter, in manu sua.

[3] Singuli autem quid dicant nesciunt : quin graviter inculpent Beniamin propter calicem extractum ex suo sacco, non possunt; et inculpare eum, argentum secunda vice extractum * e sar- * p. 106
cinis eorum non permittit eos. Obstupefacti autem iis quae sibi successive contingebant, sciderunt vestimenta sua et denuo ingressi sunt flentes in domum ex qua laetantes egressi sunt.

Ioseph autem cum ira Aegyptiorum reprehendit eos et dixit : *Quid est hoc quod fecistis?* Dixistis iustos vos esse et in convivio

[1] *Gen.*, XLIV, 9, 11 ss.

magno quod fecimus vobis, iustitiam vestram inter Aegyptios praedicavimus; hodie autem in derisum facti estis ob oculos Aegyptiorum, eo quod furati estis scyphum in quo auguror pro omnibus Aegyptiis. *An ignoratis vos, ait, quia augurando auguratur vir qualis sum ego?* Et undenam scirent, nisi eo quod heri coram eis percusserat eum (calicem) et recumbere fecerat eos unum post alterum (ordinatim)?

[4] *Dixitque Iudas : Coram Deo inventa sunt peccata in servis tuis,* non tamen hoc, sed illud propter quod hanc mercedem accipimus; *et exinde non ille tantum in cuius sarcina inventus est calix sed etiam nos erimus servi domini nostri* [2].

Dixitque Joseph : Absit ab Aegyptiis iustis ut hoc faciant. Hi enim, propter suam magnam munditiam, ne panem quidem comedunt cum Hebraeis, ne forte polluantur ab eis; et quomodo hoc quod alienum est ab integritate nostra faciemus? Iustitia autem, quae impedit nos quin peccemus in eum qui non peccavit in nos, ea ipsa incitat nos ad vindictam quaerendam ab eo qui iniuriam intulit in nos. *Vir enim cuius in manu inventus est scyphus, ipse manebit et serviet servitutem,* quae potior erit ei quam libertas : servitus enim posterior quae liberabit eum a furto, potior erit ei quam anterior libertas quae subiciebat eum furto.

[SECTIO XXXIX]

[1] Locutus est autem Iudas lamentabilia (verba), adeo ut (Ioseph) vinceretur, non tantum ut redderet eis fratrem suum, ut sperabant, sed etiam ut se manifestaret fratribus suis, res quam non exspectabant. Iussit autem Ioseph ut egrederentur omnes ab
* p. 107 eo. Etenim, etiam si iudicium * de falsa accusatione eorum ostendit omnibus, attamen, iudicium iustae condemnationis eorum ne ulli quidem hominum ostendit.

[2] Postquam enim exierunt omnes ab eo cum terrore, mutavit linguam suam modumque vocis, et sine interprete in lingua hebraica dixit : *Ego sum Ioseph, frater vester. Illi autem non potuerunt ei respondere quidquam, quia timebant* [1] ne forte, postquam indicaverit eis delicta sua occideret eos. Certo autem adhuc dubitabant,

[2] *Gen.*, XLIV, 15, 18 ss.
[1] Cfr *Gen.*, XLV, 3 ss.

num forte audirent Aegyptii, exterius attendentes ad ianuas, illum dicentem : Ego sum quem vendidistis, sicut servum; et condemnarent eos.

Dixitque illis : Accedite ad me. Cum autem accessissent, dixit illis leniter : *Ego sum Ioseph quem vendidistis ad Aegyptum.* Videns autem eos vultum abducere et aspicere in eum prae confusione sua non posse, consolatus est eos : *Ne fueritis tristes, eo quod vendidistis me, quia ad universam terram alendam misit me Deus ante vos. (Adhuc) per quinque annos durabit fames, quibus non erit qui seminet neque qui metat* [2], quod probaverunt mihi anni septem praeteriti.

[3] *Festinantes ascendite ad patrem meum et dicite ei : Fecit me Deus dominum* [3], non tantum fratrum meorum, sicut prophetaverant mihi somnia mea, sed etiam *totius Aegypti*, quod non promiserant mihi. Et ostendite ei honorem meum in Aegypto, ut pro me reddat gratias pro omnibus quae mihi evenerunt in Aegypto. *Amplexatus est autem* Beniamin et ambo fleverunt in collum alter alterius; et se vertens amplexatus est etiam ceteros fratres suos. Et ubi persuasum est illis benevolum esse eis (Ioseph), tunc ora sua aperuerunt et cum eo locuti sunt.

[SECTIO XL]

[1] Completis autem his quae inter eum et illos dicenda erant, apertae sunt fores curiae et ingressi sunt maiores gaudentes, ducesque exercitus laetantes; et hoc factum placuit oculis pharaonis et servorum eius, qui pro certo habuerunt non servum esse qui factus est pater pharaonis et praeses ingenuorum * nobiliumque Aegypti, * p. 108
sed esse ingenuum de genere benedicto, e stirpe Abrahae.

[2] (Ioseph) autem misit eos cum vestibus et curribus et omni proventu Aegypti, ut adducerent patrem suum et vetuit eos rixari in via. Iurgium autem a quo prohibebantur, hoc erat : ne alter alteri diceret : Tu hortatus es ut proiceremus eum in cisternam; alterque cum altero contenderet : Tu ursisti ut (Ioseph) nudus et cum ferreis (manicis) venderetur Arabibus.

Sicut dimisi, ait, omnibus vobis, omnes vos invicem dimittite,

[2] *Gen.*, XLV, 5-6. [3] *Gen.*, XLV, 9-15.

ne forte invicem criminantes contendatis et reditus (munerum) gaudii fiat denuo, vobis rixantibus, moeroris.

[3] Egressi autem, et etiam invento Ioseph, laetabantur; attamen nihil habentes quod excusaret eos apud patrem suum, contristabantur. Advenerunt quidem, nuntiaveruntque patri suo, *qui videns plaustra muneraque* adductus est ad credendum; *et requievit spiritus eius dixitque* : Sicut universa et magis quam universa, hoc mihi maximum est, *filium meum Ioseph vivere* [1].

[4] Cum autem narrassent honorem Ioseph et sapientiam eius administrantis, et sententiam in seipsos ulteriorem, quae amarior erat priore, interrogavit eos pater dixitque illis : Annon sciscitati estis ex Ioseph quomodo et quanam causa descendisset in Aegyptum? Cum autem omnes se mutuo aspexissent, et quid dicerent nescivissent, Iudas aperuit os suum et ad patrem suum dixit : Pravitatis nostrae hodie coram patre nostro faciamus mentionem : propter somnia Ioseph crediderunt fratres Ioseph, in inscitia sua, te et seipsos eius servos futuros esse, et insipientes cogitaverunt melius esse illum tantum servum fore neque nos patremque nostrum servire illi ut servos. Tui miserti sunt enim et Beniamin, et hoc fecerunt, minime quidem quia diligebas eum hoc fecerunt : ecce enim Beniamin etiam diligis sed, quia non dixit nos servituros esse ei, omnes diligimus eum. Dimitte nobis igitur, * (* p. 109) quia humiliavimus Ioseph; eo quod enim humiliatus est a nobis, ad hanc exaltationem venit. Accepit autem pater eorum excusationem eorum et dixit eis : Propter nuntium de Ioseph quo laetificastis me, dimissa sit vobis iniuria quam audivi vos ei inflixisse.

[5] Incepit autem Iacob omnisque domus eius descendere in Aegyptum et quia timebat artem magicam Aegypti ne noceret filiis suis, *apparuit ei Deus et dixit ei : Noli timere descendere in Aegyptum* [2], et quia credidit forte (futurum esse) ut propter bona eis occurrentia permansuri essent in Aegypto vanaque evaderet promissio, dixit illi (Deus) : *Ego descendere te faciam et ego ascendere te faciam exinde.* Et quia timebat ne forte moreretur Ioseph, dixit ei : *Ioseph, filius tuus, ponet manus suas super oculos tuos.* Et surrexit Iacob postea et laetanter descendit cum septuaginta animis, id est, connumeratis Ioseph et duobus filiis eius.

1 Cfr *Gen.*, XLV, 25 ss. 2 Cfr *Gen.*, XLVI, 1 ss.

[6] Egressus est autem Ioseph in occursum patris sui, cum curribus et cum multo populo; et ubi descendit adoravitque patrem suum, fleverunt super collum alter alterius. Iussitque Ioseph fratribus suis ut dicerent pharaoni : *Possessores gregum sumus nos et patres nostri,* ut habitarent in terra Gessen et evaderent ab adoratoribus ovium et taurorum.

[SECTIO XLI]

[1] *Dixit autem illi pharao : In optima terra fac habitare patrem tuum et fratres tuos... Benedixitque Iacob pharaoni et egressus est a conspectu eius* [1]. Ioseph autem vendidit Aegyptiis frumentum pro pecunia, ubi autem defecit pecunia vendidit eis pro gregibus, et tandem emit eos ipsos et terras eorum pro sustentatione eorum panibus, praeter terram pontificum, quam non emit, quia accipiebant portionem eis statutam a pharaone; et dedit eis Ioseph anno septimo semen tulitque legem ut unum ex quinque darent pharaoni.

[2] *Appropinquaverunt autem Iacob dies moriendi et dixit ad Ioseph : Pone * (* p. 110) manum tuam sub lumbis meis,* sicut fecerat Abraham ad Eliezer, ut iurare eum faceret per foedus circumcisionis. Et iuravit illi Ioseph se ablaturum esse eum et sepulturum apud patres suos. *Adoravitque Iacob summitatem sceptri eius.*

[3] Cum autem audisset Ioseph aegrotare patrem suum, adduxit veniens duos filios suos ut benedicerentur ab eo, priusquam moreretur. *Dixitque Iacob : El-Saddaï apparuit mihi in Lusa* [2], dum dormiens eram supposito lapide pro cervicali meo, *et benedixit mihi dixitque ad me : Dabo tibi gentes,* id est, tribus; *et nunc Ephraim et Manasse sicut Ruben et Simeon erunt mihi, ceteri autem qui nascentur tibi filii tribu Ephraim et Manasse vocabuntur.*

[4] *Et dixit : Adduc eos ad me et benedicam illis. Commutavitque Israel manus suas propter Manassen primogenitum, posuitque dexteram suam super caput Ephraim minoris.* Heic etiam manifeste iterum Crux delineata est, ut figuraretur mysterium illius per quem evasit Israel primogenitus, sicut Manasse primogenitus et crescent gentes ad modum Ephraim minoris natu.

[5] Benedicens autem pueros dixit : *Invocetur in eos nomen meum et nomen patrum meorum*; id est, vocentur filii Abrahae et Isaac

1 Cfr *Gen.*, XLVII, 1 ss. 2 Cfr *Gen.*, XLVIII, 1 ss.

et Iacob. Conatus est autem Ioseph dexteram patris sui super Manasse (adducere) *et noluit, dixitque illi* : Non benedictione defraudo eum; *etiam Manasse enim multiplicabitur, verumtamen frater eius minor multiplicabitur plus quam ille*[3]. Et, ut ostenderet iam antea seniorem declaratum esse minorem natu quam maior, *dixit : In te benedicetur Israel et dicetur : Faciat te Deus velut Ephraim et velut Manasse.*

[6] *Et dixit ipsi Ioseph : Dedi tibi partem maiorem quam fratribus tuis, quam tuli gladio meo et arcu*[4], quippe qui eam emerat pro centum ovibus, quas acquisierat robore brachiorum suorum. Benedicta autem progenie Rachel, attulit lugubri modo (memoriam) mortis Rachel quae advenit partus eius causa.

* p. 111

* [SECTIO XLII]

BENEDICTIONES IACOB

[1] *Et vocavit Iacob filios suos et dixit eis : Congregamini et ostendam vobis quid accidat vobis in fine dierum*[1]. Propter Ioseph autem qui venerat, et propter patrem suum qui angore affectus erat, etsi non in ipsa domo congregabantur, sed ex omni (loco) laboris sui extra domum, convenerunt, accedentes eo ipso die; Ioseph igitur sedentem circumstabant eum fratres eius et exspectabant, minime quidem ut benedicerentur aut maledicerentur, sed ut scirent quid esset eventurum sibi in fine. Aperuit Iacob os suum et ad Ruben, primogenitum suum dixit :

[2] *Ruben, primogenitus meus es tu : fortitudo mea et initium roboris mei*[2] *:* notificans se usque ad diem quo Liam duxit, per octoginta et quattuor annos se in virginitate permansisse.

Residuum roboris et residuum virtutis : (id est), sive : tu es filius iuventutis et fratres tui ceteri de residuo sunt roboris virtutisque iuventutis; sive : si tu (mihi) similior fuisses, potiorem partem habuisses propter primogenita tua; *errasti sicut aqua,* quae reliquit canalem suum et terram alienam irrigat. Et eo quod dixit : Errasti sicut aqua, verisimile est uxorem habuisse Ruben et dereliquisse eam et ingressum esse non afflictum siti ad aquas furtivas bibendas.

[3] *Gen.*, XLVIII, 19 s. [4] *Gen.*, XLVIII, 20 s.
[1] *Gen.*, XLIX, 1 s. [2] *Gen.*, XLIX, 3-4.

Errasti, ait, *sicut aqua non permanebis,* id est, de numero tribuum, et ideo benedicens eum dixit Moyses : *Vivat Ruben, nec moriatur sed sit de numero fratrum suorum*[3]. *Ascendisti cubile patris tui :* hoc denuo indicat ipsum ad dormientem Balam ingressum esse, ad eam quae propter hoc non fuit maledicta cum eo. *Vere polluisti stratum meum :* stratum vocat, sive opus malum quod fecit super stratum, sive mulierem ipsam.

[3] Postquam autem transiit a Ruben, se vertit ad fratres eius, sic dicens : *Simeon et Levi fratres, vasa indignationis a natura sua*[4], * id est *de secreto quod machinati* sunt ut circumciderent * p. 112
Sichemitas et occiderent eos, *non cognovi. Et in coetu eorum,* id est in conspiratione illorum ad viros occidendos, *non delapsus sum ab honore meo.* Immisit enim Deus timorem suum in gentes circumstantes et ab ignominia eripuit me; ego ab istis ad occisionem destinatus eram. *Ira sua occiderunt viros,* nec erat in iustitia eorum. Sichem enim occidendus erat, eo quod stupraverat sororem illorum, non autem tota civitas. *Et voluntate sua diruerunt murum,* id est moenia domuum ipsius civitatis. *Maledictus furor eorum* quia praevaluit contra habitantes Sichem; *et iracundia eorum quia dura,* propterea quod protraxerunt per (plures) dies, dum persuaderent eos ut se eis committerent et circumcisi sunt, dum etiam invalesceret dolor eorum; et per omnes illos dies furor eorum non mitigatus est. *Dividam eos in Iacob :* id est, unus adversus alterum, non enim post maledictionem sibi servarunt unitatem illam quam habebant ante maledictionem. Sic enim coniuncti erant ut ne fratribus quidem ipsis Dinae revelassent, quando inceperunt vindictam sumere ex stupratoribus Dinae. *Dividam eos in Iacob,* id est, inter filios Iacob, *et dispergam eos in Israel,* id est inter filios Israel.

[4] Secesserunt[5] autem a filiis eorum (ab invicem), Zamri, de tribu Simeonis, et Phinees, de tribu Levi; et Levi qui se coniunxerat cum Simeone ad multos occidendos propter mulierem, nunc post maledictionem, Phinees, (filius eius), filium Simeonis occidit cum muliere propter mulierem. Etiam si animo divisit eos unum ab altero, ne prodesset eis foedus prius, tamen ambas tribus ipsas dispersit inter tribus (ceteras). Dispersit enim Levi ut inter omnes tribus hereditaret, quia sicut fratribus eius pars non est illi con-

[3] *Deut.*, XXXIII, 6. [4] *Gen.*, XLIX, 5-7. [5] Cfr *Num.*, XXV, 6 ss.

cessa. Et Simeon, propter partem suam quae exigua erat se diffudit et occupavit de hereditate omnium fratrum suorum.

[5] *Iudas, tibi gratias agent fratres tui*[6], quia servasti eos a sanguine Ioseph fratris eorum. Per te enim Ioseph factus est (pater) duarum tribuum; quia, nisi fuisset consilium tuum vivifi-
p. 113 cans eum, * omnes tribus periissent fame. Quia igitur servasti eos quin peccarent et fame morerentur, *tibi gratias agent fratres tui* propter illa duo; quia per manum tuam servati sunt ab (his) duobus, *manus tua super cervicem inimicorum tuorum :* victoria illa quam pollicitus est regno David, oriundi ab eo, illa est servitus qua subiugavit David omnes gentes quae (habitabant) a mari usque ad fluvium Euphraten. *A caede, fili mi, ascendisti* : vel quia a caede Thamar duorumque filiorum eius servatus est, vel quia nullam caedis Ioseph partem habuit. *Genua flexit et recubuit in hereditate sua,* non sicut leo senex, sed *sicut catulus leonis,* id est, leo iuvenis nihil timens, accipiendo autem hoc : recumbens sicut leo super hereditatem quam sibi acquisivit, (in hoc sensu) quod nullus est qui poterit eripere illam ab eo; sed illud dixit de regno, quod etsi tentati et humiliati (filii Iudae), nullus tamen fuit qui posset illud eripere ab eis, quia Domino regni servatum est regnum super tribus eorum. Et, ut notum faceret se loqui de diademate quod ab eo transmittendum erat, non autem de tribu eius, scripsit : *Non deficiet sceptrum,* id est, rex, *neque revelator,* qui est propheta revelans futura, *donec veniat,* minime quidem David quem exaltavit regnum, sed Iesus, filius David, qui est dominus regni. *Non deficiet,* inquit, *rex aut propheta de domo Iudae, donec veniat is cuius est regnum.* Aut mihi ostendant fuisse in Iuda reges ante David propagantes servantesque diadema (regi) David, (aut) si ante David autem non fuit rex, constat ab ipso David et filiis David transmittendum esse servandumque regnum filio David ac domino eius qui est dominus regni. Etenim, etiam si ab illo (verbo) : *Iuda, gratias tibi agent fratres tui,* et usque ad : *Non deficiet sceptrum et revelator,* omnia referenda sunt in Iudam et regnum David filiorumque David qui ex Iuda (oriundi erant); tamen ab illo (verbo) : *Donec veniat is cuius est,* et cetera his adiuncta, in Filium Dei referenda sunt veraciter, nec in David filiosque David, qui de Iuda. Eo ipso etiam

[6] Cfr *Gen.*, XLIX, 8-12.

quod dixit : *Veniet is cuius est,* manifeste ostendit omnes * priores * p. 114
locum tenentes futuros esse, id est transmissores diadematis non sui proprii. *Et ipsum exspectant omnes gentes,* inquit, id est Ecclesia, quae est ex gentibus. *Ligabit ad vineam pullum suum et ad surculum filium asinae*[7] *:* ipsam synagogam vocat vineam, sicut David etiam vocat eam. Illud nempe : Ligabit ad vineam pullum suum, quia ipsi synagogae annexum est et ab ea transmissum regnum; et hoc est illud : *Non deficiet sceptrum de Iuda donec veniat is cuius est regnum.*

[6] Dominus autem noster, quando venit, denuo ad vineam veram ligavit pullum suum ut, quemadmodum ab eo completa sunt omnia mysteria, (ita) perficeret in veritate hoc etiam quod transmissum est apud eos in similitudine. Sive nempe, in Ierusalem, extra sanctuarium, vinea erat ad quam ligabat pullum suum (Dominus) ingrediens in templum; sive in ipso vico unde venit, pullus ad vineam ligatus erat; dictum est enim : *Si dixerint vobis : Ad quid solvitis pullum istum? Dicite eis : A Domino suo requiruntur*[8].

Dealbabit in vino vestem suam, id est, lavabit corpus suum in sanguine suo; *et in sanguine uvarum operimentum suum,* eo quod sanguine suo proprio lavabit corpus suum quod est operimentum divinitatis suae. *Rutilantiores sunt,* ait, *oculi eius vino,* quia purior est veritas mentis eius vino defaecato. *Et candidiores sunt dentes eius lacte,* quia munda et splendida est doctrina labiorum eius.

[7] *Issachar, vir fortis, accubans inter semitas*[9], id est Gedeon qui misit epistolas ut bellatum venirent contra Madianitas, et cum trecentis viris viriliter descendit contra castra magna millium et myriadum. *Et qui vidit locum habitationis suae (esse) iucundum,* id est, hereditatem quae ei advenit *et terram suam (esse) bonam,* quae manabat lac et mel.

Et quia, dum hereditas eius (hereditate) tribuum sociarum eius non est melior, gratitudo eius (tamen) maior quam sociorum eius facta est; *inclinavit humerum suum* in servitutem, * minime quidem gentium, sed Dei, *et factus est ad tributum subiectus servus,* id est, fuit decimas absolvens pecorum suorum et proventuum filiis Levi.

[8] *Zabulon ad litus maris habitabit*[10], id est, iuxta portus

[7] Cfr *Ps.* LXXX, 8, 14. [8] Cfr *Matth.*, XXI, 3; priore manu scriptum ܠܗ, *ei*, quod correctum est in : ܠܗܘܢ, eis. [9] Cfr *Gen.*, XLIX, 14-15. [10] *Gen.*, XLIX, 13.

maritimos, *et ipse ad litus navium;* et sicut omnis habitans iuxta mare, mercatura eius ex proventibus fuit de navibus. *Et termini eius usque ad Sidonem,* quae ipsa sita est ad latus maris.

[9] *Dan iudicabit populum suum* [11], id est, Samson qui iudicavit Israel per viginti annos; *sicut una ex tribubus Israel,* id est, sicut unus ex fratribus eorum, filiis quos ex liberis (uxoribus) habuit Iacob. *Erit Dan serpens super terram :* illi autem (erant) super faciem terrae sicut (serpentes) qui in deserto Sinai ostendebant caput suum de terra; *et basiliscus super semitas,* quia sicut conturbantur a serpentibus (reptantibus) super faciem terrae illi qui per invia ambulant, et pavent basiliscum insidiose inspicientem super semitas illi qui gradiuntur per semitas, ita etiam Samsonem pavebant Philistaei, qui per semitas et per invia gradiebantur. *Quia momordit equum ad calcaneum et deiecit ascensorem eius retro :* quia per famen magnam quam induxit super Philistaeos, — comburens vulpibus segetes illorum, quae corpus eorum sustinebant, sicut equus ascensorem suum, — in genua prociderunt ex defectu panis, et ceciderunt etiam retrorsum ex defectu alimenti. *Salutare tuum exspectavi, Domine :* aut illud Palestina ipsa exspectavit in illo tempore, sicut diebus arcae, quando potiti sunt salutare Domini; aut ex persona filiorum Dan vel totius Israel, sic dictum est ex ore Iacob, ut ostenderet hos omnes salvatores qui surgebant illis, esse symbolum illius magnae salutis quae futura erat omnibus populis per Iesum, quia veritatem figurabant.

[10] *Gad per turmam exeat* [12], illi quadraginta millium qui armati antecedebant sexcenta millia (virorum) qui cum filiis suis et uxoribus suis impedimentisque sequebantur; et illud : *Ipse trahet*
* p. 116 *calcaneum,* id est, ipse ibat prius armatus * et viriliter et confortata est per eum congregatio illa, quae velut calcaneum retro veniebat.

[11] *Aser, bona terra eius* [13]. Ecce quod dixit Moyses : *Intingat in oleo pedem suum* [14]. Videtur autem terra Apamensis fuisse, *et quae praebebit victum regibus,* propter oleum mundum et vina variorum saporum quae in hereditate eius inveniebantur.

[12] *Nephtali, nuntius velox,* non referens audita, *sed dans*

[11] *Gen.*, XLIX, 16-17. [12] *Gen.*, XLIX, 19. [13] *Gen.*, XLIX, 20. [14] *Deut.*, XXXIII, 24.

sermonem pulchrum [15]. Barac ille est qui misit nuntium bonum ad omnes qui fugiebant coram robore et vehementia Sisarae [16].

[13] *Ioseph, incremento praeditus* [17], quippe qui ab infantia sua, optimo nutrimento educatus est. *Erumpe, fons, in aedificium fultum :* quia Ioseph fultus erat Deo, per fiduciam magnam suam in Deum, rursusque fultus iure primogeniturae suae et regno et fratribus; et fultus sicut fons duobus filiis suis qui ad dexteram et sinistram eius. Illud autem : *Ascendit ad murum,* quia perficitur et excellentia coronatur; illud autem: *Contenderunt et odio habuerunt eum agminum duces :* id est principes tribuum; et si : *filii dissensionis,* scriptum est, idem est, quia fratres eius ab eo sunt *dissidentes,* qui odio habuerunt eum et vendiderunt eum in Aegyptum. *Retortus est autem,* ait, *in robore arcus eius,* eo quod praevaluit et dominus eorum factus est. *Et dissoluta sunt brachia manuum eius,* eo quod, quamvis robustus sit arcus, si in brachiis non est robur, vanum est robur arcus. Ita etiam et Ioseph, etsi potestatem, sicut arcus, habebat occidendi fratres suos, tamen iracundia quae robore repraesentatur, super fratres suos non erat ei, *dissoluta sunt* igitur caritate *brachia manuum eius per manus Potentis Iacob,* id est, propter Deum omnipotentem, qui fuit cum Iacob, *et propter nomen Pastoris* qui ducturus erat, per desertum aridum, lapidem quae vivificaret totum Israel potu [18].

[14] *Deus patris tui auxiliabitur tibi* tempore praelii tui cum inimicis quia abstinuisti a vindicta sumenda ex filiis patris tui. * *Et El-Saddaï (Deus Omnipotens) benedicet tibi benedictionibus* * p. 117 *caeli desuper :* id est, roribus copiosis et assiduis et (beneficiis) benevolentiae eius exinde defluentibus super proventus anni benedictos. *Benedictione abyssi iacentis deorsum,* quia, etsi omnia ex nihilo sunt, tamen ex (aquis) abyssi dicunt accipere nubes, et sicut sapientia Dei mutavit eas in salsedinem ne corrumperentur propter congregationem suam, ita fecit eas in nubibus dulces et gratas propter potum hominum et animalium graminumque et germinum. Ideo benedictio caeli imbris est et roris; et benedictio abyssi est fluminum et fontium irrigantium hereditatem eius (Ioseph). *Bene-*

[15] *Gen.*, XLIX, 21. [16] Cfr *Iud.*, IV. [17] *Gen.*, XLIX, 22 ss. [18] Cfr *Ex.*, XVII, 5-6; *Num.*, XX, 7-11 : legenda antiqua dicit petram hanc secutam esse populum Israel (cfr 1 *Cor.*, X, 4).

dictio uberum et *uteri*, id est benedictio amabilis qua mater filium benedicit fervente lacte uberum suorum et benedictio dilecta qua patres benedicunt in corde suo dilectos suos. *Benedictiones patris tui praestiterunt benedictionibus genitorum meorum*, propterea quod potiores sunt benedictiones quibus benedixi tibi quam illae quibus benedictus sum ego : tu enim a patre vidente benedictus es in fide, ego autem nomine alieno accepi eas in fide; quia ex parte patris mei, dominio quod fratri meo dabat illo die, servum fratris mei illo die faciebat me. Potiores sunt igitur benedictiones meae quam patris mei, non virtute sed amore. *Usque ad spem collium aeternorum*, id est, illae benedictiones quibus benedictus sum ab Isaac, qui ipse benedictus est in monte et in colle in quo oblatus est (in sacrificium), *sint super caput Ioseph*. Sicuti est hodie inter Aegyptios sceptrum et gloria fratribus suis, fiat eis in fine etiam *corona et regnet super fratres suos* in hereditate eorum.

[15] *Beniamin lupus rapax*, insidiose observans ad praedam in hereditate sua, *mane comedet praedam* [19], id est, in liberatione eorum ab Indis et a Sennacherib atque a domo Gog; *et vespere dividet id quod arripuerit*, propterea quod tranquillitatis (tempore) * p. 118 in Ierusalem * dividet cum stirpe Iudae secum habitante, id quod arripuerit et attulerit ex castris exercituum illorum a nobis numeratorum.

[SECTIO XLIII]

[1] Nunc autem, postquam diximus benedictiones illas Iacob ad litteram, denuo dicemus eas etiam spiritualiter. Non autem diximus eas ad litteram ut oportebat, neque secundum spiritum scribemus eas ut decet; deficienter autem diximus eas ad litteram, et breviter scribemus eas secundum spiritum.

[2] *Ruben, virtus mea et initium roboris mei, errasti sicut aqua non permanebis* [1]. Quemadmodum autem hic primogenitus Iacob maledictus est propter iniquitatem suam a iustitia Iacob, deleta est autem maledictio Ruben a Moyse [2], qui fuit filius Iacob; ita etiam sententia mortis ob transgressionem mandati lata est a Deo in Adam, venit autem Filius Dei et per promissionem resurrectio-

[19] *Gen.*, XLIX, 27.

[1] *Gen.*, XLIX, 3-4. [2] Cfr *Deut.*, XXXIII, 6.

nis quam promisit illi, vanam fecit sententiam quae a (tempore) paradisi sequebatur eum.

[3] *Simeon et Levi, fratres, vasa iracundiae* [3], hi etiam facti sunt similitudo Satanae et mortis. Quemadmodum isti iracundia sua diruerunt civitatem et per cupiditatem suam spoliaverunt omnem supellectilem eorum, Satanas etiam invidia sua occulte occidit mundum, sicut hi filios Sichem aperte; et mors invasit in omnia corpora, sicut hi in possessionem Sichemitarum. Caedes igitur, quas secreto fecit peccatum, evangelium Domini nostri earum (victimas) vivificavit; et mortuos, in quos mors tyranna invasit, suscitavit eos promissio benedicta Filii.

[4] *Zabulon habitans ad litus marium*, est typus gentium apud prophetas habitantium; *et termini eius usque ad Sidonem* [4], ita termini earum ad peccatum, figuratum a Sidone : *Quanti aestimabimini vos, Tyr et Sidon* [5]*?*

[5] *Issachar, vir fortis, accubans inter semitas* iustitiae, quas transgressus est et paenitens venatus est sibi veniam; *vidit locum habitationis suae (esse) iucundum et terram suam * (esse) bonam* [6] : * p. 119 id est, vidit ecclesiam suam esse bonam et locum habitationis suae esse sanctum. *Inclinavit humerum suum* sub cruce et factus est debito satisfaciens.

[6] *Dan iudicabit populum suum, sicut una e tribubus* [7] : si (quis) ex Dan iudicabit populum suum, quanto magis iudicabit omnes populos ille qui est ex Iuda, (Christus) cuius est regnum. Serpens enim factus est Dominus noster ad serpentem priorem et basiliscus ad Satanam sicut serpens aeneus, qui factus est adversus serpentes [8]; et quia quamvis ampla salus hominis parva est, (ideo) dixit Iacob in spiritu pro salute universali : *Salutare tuum exspectavi, Domine.*

[7] *Gad per turmam egredietur*, quadraginta millium armatorum [9], veritas autem (huius figurae) duodecim sunt apostoli qui praecedentes attraxerunt post se omnes gentes ad insequendum per turmas adversus latronem [10] (Satanam), ut eriperent ab eo gentes quas spoliaverat.

[8] *Aser, bona est terra eius et praebebit victum regibus* [11] :

[3] *Gen.*, XLIX, 5. [4] *Gen.*, XLIX, 13. [5] *Ioel*, III, 4. [6] *Gen.*, XLIX, 14-15. [7] *Gen.*, XLIX, 16-18. [8] Cfr *Num.*, XXI, 8. [9] *Gen.*; XLIX, 19; cfr *Ios.*, IV, 13. [10] Lusus de verbis : *gaysa*, turma, bande; *gayasa* : latro, bandit. [11] *Gen.*, XLIX, 20.

Ecclesia est quae dat veniam (peccatorum) cum pharmaco vitae, non regibus tantum sed etiam toti exercitui (eorum) qui sequuntur reges.

[9] *Nephtali, nuntius velox, dat sermonem pulchrum*[12], docente Domino nostro ad fines Zabulon et Nephtali, exierunt auditores et nuntiaverunt et recitaverunt sermonem pulchrum, quia scilicet hic est quem exspectabamus.

[10] *Incremento praeditus Ioseph :* quemadmodum autem, vice Ruben primogeniti, in Ioseph innixus est Iacob, (ita) etiam vice Adam, primogeniti et ad iram provocantis, unus filius senectutis fuit mundo, in fine ipsius mundi, in quem velut in columnam inniteretur et super quem stabiliretur universus mundus. *Erumpe, fons, in aedificium munitum*[13] fratribus et filiis; virtute autem Domini nostri munitus est (mundus) prophetis et apostolis. Ioseph factus est murus (tegens) satietatem fratrum suorum tempore famis, et Dominus noster factus est murus (servans) cognitionem mundo, tempore ignorantiae eius.

Ioseph odio habuerunt principes tribuum et Dominum nostrum principes populi. *Retortus est in robore arcus eius,* quia praevaluerunt ambo (Ioseph et Dominus) super inimicos suos *et dissoluta* * p. 120 *sunt brachia manuum eius,* quia non * intenderunt (arcum) aut proiecerunt tela in fratres suos. *Per manum Potentis,* id est, propter nomen Filii ipsius, qui vocatus est ab Apostolo : *Petra quae comitabatur Israel in deserto*[14].

[11] *Beniamin, lupus rapax :* Paulus qui factus est lupus lupis, eripuitque a Maligno omnes animas; *et vespere dividet id quod eripuerit*[15], id est, in fine mundi fruetur etiam ille mercede excellenti laborum suorum.

[SECTIO XLIV]

[1] Postquam autem benedixit filiis suis, (Iacob) mortuus est annum agens centesimum quadragesimum septimum; *et ascendit Ioseph cum senioribus Aegypti et tota domus patris sui*[1], et sepelierunt eum apud patres eius, et reversus est Ioseph et omnes qui cum eo erant, in Aegyptum.

[12] *Gen.*, XLIX, 21. [13] *Gen.*, XLIX, 22-26. [14] Cfr 1 *Cor.*, X, 4. [15] *Gen.*, XLIX, 27.

[1] *Gen.*, L, 7 ss.

[2] *Timuerunt autem fratres Ioseph et dixerunt ei : Pater tuus ante mortem suam iussit : Te quaeso, dimitte iniquitatem fratrum tuorum et peccata quae malefecerunt tibi; flevitque Ioseph et dixit : Ne timueritis me*[2], quia si pater vester mortuus est, Deus patris vestri, propter quem non laesi vos, subsistit; et quia in bonum vertit mihi malum quod intendebatis adversum me, et posuit populum multum in manibus meis, absit ut malefaciam illis qui fuerunt multis causa vivificationis. Attamen, sicut morti non tradidi vos in Aegypto, nolite relinquere ossa mea in Aegypto. *Et adiuravit eos, dicens : Recordando recordabitur vestri* Deus et ascendere faciet vos in terram quam iuravit Abrahae. Asportate ossa mea exinde, ut si hereditatem non habuero vobiscum, resurgendo resurgam ex ea vobiscum. Mortuusque est Ioseph annum centesimum decimum agens et posuerunt eum in arca in Aegypto.

[3] Deo autem, qui per Filium suum creavit creaturas ex nihilo, non autem scripsit haec a principio, quia manifesta erant scientiae Adae, et omnis generatio illi posteriori, sicut didicerat ab anteriore tradebat. Et ubi erravit universum a Deo et oblitum est universum creationem a Deo (factam), scripsit ea per Moysen populo Hebraeorum, * postquam mutaverat (universum) naturam, ut testem daret * p. 121 creatas esse naturas, ei autem qui scripsit in deserto ea ipsa quae in mente Adae ostensa erant iam in paradiso : a populis prioribus, qui sine scriptura cognoscebant ea, et a populo mediae (aetatis), qui per scriptum audivit et credidit ea, et a populis ultimae (aetatis) qui adhaeserunt libris mediae (aetatis), et etiam ab illis qui perstiterunt in rebellione voluntatum suarum, nec ad persuasionem ducti sunt, illi (Deo) et Christo et Spiritui Sanctitatis eius, gloria et honor, nunc et omni tempore et per saecula saeculorum. Amen et Amen.

Explicit explicatio Genesis, libri primi Pentateuchi.

[2] *Gen.*, L, 15 ss.

* p. 122

* TARGUM EXODI
QUI LIBER EST SECUNDUS PENTATEUCHI
QUEM FECIT MAR EPHRAEM BEATUS

Liber secundus Exodi narrat de septuaginta animabus quae intraverunt cum Iacob in Aegyptum, et de morte Ioseph et eorum eiusdem generationis;

et regem surrexisse novum qui occidit infantes, et servatum esse per arcam Moysen, qui factus est filius filiae pharaonis;

et quod, vir factus, exiit ad fratres suos ut videret num prospere procederet per se liberatio (eorum); ipsumque occidisse Aegyptium et Hebraeum reprehendisse, a quo accusatus (Moyses) fugit in Madian;

et ipsum ad puteum sedisse et (puellas) liberasse iniuste tractatas; ipsumque intrasse domum Iethro et sibi duxisse filiam eius, Sephoram, uxorem;

et mortuum esse pharaonem et requievisse filios Israel a crudeli sua servitute; et orantes exauditos esse;

et apparuisse Deum Moysi de rubo;

et virgam in colubrum versam esse, manumque eius leprosam factam mundatam esse;

et ipsi eunti in Aegyptum apparuisse angelum in deversorio volentem occidere illum;

et ingressum esse (Moysen) in Aegyptum et in occursum eius venisse Aaronem; ipsumque signa fecisse coram senioribus populi qui crediderunt ei; ipsosque ingressos esse ad pharaonem qui noluit dimittere (filios Israel) sed duplicavit tribulationem eorum prohibens ne (daretur) eis palea;

et virgam factam serpentem et flumen in sanguinem versum;
et de ranis ac de pestilentia;
et de pediculis insectisque;
* p. 123 * et de ulceribus ac de igne in grandine incedente;
et de locustis ac tenebris;
et de morte primogenitorum illorum;
et de agno, die decima quarta immolando et edendo;

et (narrat) exitum eorum celerem, quo exierunt pasti et dotati auro et argento et vestibus Aegyptiorum quas spoliaverant;

et mare divisum, transeuntibus Hebraeis submersisque Aegyptiis;

et carmen quod cecinit Maria super mare; et ipsos venisse per tres dies et non erat aqua;

dulces factas esse ligno aquas amaras quae in Morath; mannam descendisse et coturnices ascendisse, et aquas de petra fluxisse illis in Horeb;

Amalec venisse ad pugnandum cum eis;

et venisse Iethro socerum Moysis ad Moysen;

et legem datam esse illis ad montem Sinai; et descendisse Deum in montem Sinai, legesque et sententias ibi dedisse eis; ascendisse Moysen ut descenderet tabulas;

et ordinationem tabernaculi, qualiter et undenam futurum esset;

et populum vitulum fecisse quia Moyses moratus erat ad montem; et ipsum redisse et ascendisse secunda vice ad montem et tabulas detulisse, et deprecatum esse pro scelere eorum;

(Moysen) petisse a Deo ut ascenderet cum eis, et ei dixisse: *Ostende mihi gloriam tuam et cognoscam te* [1]; et (Deum) se ostendisse ei, cautumque eum fecisse de mandatis (servandis), quae iterum mandavit post adorationem vituli;

et fabricatum esse tabernaculum et confectam esse supellectilem eius totam;

erectum esse (tabernaculum) die primo primi mensis et nubem factam esse per diem super tabernaculum umbraculum; et si elevabatur nubes a (tabernaculo), tollebant illud:

De his nempe omnibus scripsit Moyses in libro Exodi. Et initio verborum suorum, sic dixit:

* [SECTIO I] * p. 124

[1] *Et haec*, ait, *sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt cum Iacob in Aegyptum* [1] ... *septuaginta animae;* et hoc ad ostendendum ad effectum evenisse verbum quod praedixerat (Dominus) ad Abraham in promissione [2]. Hi enim qui cum senioribus eorum et iunioribus ad (numerum) septuaginta animarum ingressi sunt, post ducentos

1 *Ex.*, XXXIII, 13, 18.
1 *Ex.*, I, 1. 2 Cfr *Gen.*, XII, 2, etc.

et viginti quinque annos quibus manserunt ibi, ad sexcenta millia armatorum egressi sunt, praeter eos qui viginti annos et infra nati erant.

[2] Postquam mortuus est Ioseph et qui eiusdem aetatis erant, surrexit rex novus et inivit consilium novum occidendi Hebraeorum infantes. Hoc autem quod fecit, haud sine causa faciebat : etenim, etsi Satanas quia viderat desiisse quadringentos annos Abrahae decretos [3], voluit, infantibus occisis, suffocare servatorem Hebraeorum, at certe pharao ipse, videns populum multiplicatum et totam Aegyptum redundantem eo, invidit multitudini Hebraeorum; eo magis quia inter eos quidam (a daemonibus) agitati, aestimantes se futura cognoscere, e numero annorum praeteritorum praenuntiarunt liberandos esse Hebraeos.

[3] Iussit igitur pharao ut morerentur infantes eorum, patresque eorum proiecit in laborem horreorum haud necessariorum. Etenim, si frumentum horreorum Ioseph satis fuit per septem famis annos ad alendam Aegyptum et Chanaan terramque Amorrhaeorum, nonne satis erant ad terram eius alendam (grano) coacervato in eis? At quantopere studebat pharao neci parvulorum, (tantopere) parvuli Hebraeorum multiplicabantur; et quanto sic machinabatur angorem populi, tanto angor suiipsius plus quam populi crescebat. *Angebant enim*, ait, *Aegyptios filii Israel.*

[4] At quia pepercit flumini (pharao) ne pollueret illud cadaveribus infantium, vocavit obstetrices (litt. vivificatrices) ut face-
* p. 125 ret eas * interfectrices : potestate enim sua contrarias nomini earum fecit eas, ille qui sanatrices facere mortiferas molitus est. Non autem audierunt ei illae, etsi pollicitae sunt se audituras ei; in contrarium enim audiebant ei, quia illae quibus parvulos occidere iussit, vice illorum seipsas occidi meditabantur. Die autem quo sperabant se coronam confessionis propter hoc accepturas esse, per sententiam prudentem a Deo positam in ore earum, servatae sunt a morte, *et benefactum est illis* [4], id est, familia magna facta est eis quae propter multitudinem infantium ad vitam a se adductorum credebant pharaonem totam familiam suam occisurum esse.

[5] Cum autem pharao a mulieribus illusus esset et nescisset, statuit aquas polluendas esse sanguine infantium et pisces earum

[3] Cfr *Gen.*, xv, 13. [4] Cfr *Ex.*, I, 20.

alendos esse parvulorum carne; sed ne hoc quidem poterat (facere) quia multiplicata est progenies Hebraeorum; flumen enim repletum est infantibus, sicut volebat pharao, et Aegyptus repleta est eis, sicut nolebat. Videns flumen infantibus foetidum laetatus est, et si respexit ad Aegyptum eis redundantem contristatus est valde; nec mandatum suum abolevit, nec sicut mandatum perfecit voluntatem suam; infantes ad ripam fluminis sicut locustae colligebantur, et ad vexandum eum Aegypti fora illis resonabant.

[SECTIO II]

[1] Hoc autem tempore tribulationis Hebraeorum natus est Moyses; quem mater sua videns pulchrum esse, abscondit usque eo dum non posset amplius abscondere; timuit enim ne pateret eos despexisse pharaonis mandatum; neve moriente tota familia ne Moyses quidem servaretur in vita. Vide quatenus inquisierint (milites) ut impossibile fieret celare Moysen; et considera quatenus servaverit eos gratia, ut sexcenta millia (virorum) inde exirent. Exposuit autem Moysen mater eius in arca et (domum) ingressa, genibus provoluta, orando et lamentabiliter flendo, ad Deum Abrahae conquesta est de pharaone : Tu, inquit, benedixisti populum nostrum ut multus fieret et, ecce, multus factus est sicut * benedixisti; ecce * p. 126
autem pharao machinatur ut, interfectis parvulis, incultae sint terrae ab aratoribus, et si parere desitum est, ut pereat et evanescat semen a te benedictum.

[2] Maria autem, soror Moysis, sedit prope flumen ut sciret quidnam in fine puero accideret in arca. Confidebant enim in Deo et pueri pulchritudine, ut qui primus videret arcam caperet puerum et daret ei vitam. Excandefactus est autem dies ille filiae pharaonis et ante tempus exiit lautum ad flumen. Etsi propter aestum suffocantem illius diei libens exibat, quae ante tempus exibat praeter voluntatem exibat; necessario ducebatur a suo libero arbitrio, ut de flumine eriperet educeretque aliquem qui futurus erat ut in mare sumeret vindictam parvulorum in flumen proiectorum.

[3] Cum autem vidisset puerum pulchrum esse cogitabat, et ancillae suae cum ea, deos Aegypti parasse sibi orbatae filium in flumine; oboediens autem accepit eum qui auferret opprobrium suum consolationemque suam multiplicaret et per quem sedes

patris sui susciperetur (litt. transmitteretur). Maria autem venit neque moesta neque laeta, ab ambobus enim aliena erat; sed speciem negotio suo opportunam induta. Dixit ei Maria : *Vocabo tibi nutricem ex Hebraeorum feminis* [1], cuius cor sincerum et lac mundum sit, et quae regno vestro utilissima sit propter haec duo. Velociter autem adduxit matrem eius in habitu decenti et cum muneribus praestantibus. Haec aegre persuasum est sibi fieri filii sui nutricem, quae totam domum grata dedisset pro Moyse, ne in flumen proiceretur; et cum sibi datus est, gratis accipere eum non persuasum est sibi : filium suum accepit nec arcam dimisit. Quem abstulit maesta rettulit laeta; et quae ierat ad flumen in tenebris rediens rettulit eum in luminibus; in foro domique brachiis afferebat eum qui per tres * menses lumen non viderat. Lumen in flu- * p. 127 mine vidit (Moyses), qui in flumen ut lumine privaretur proiectus erat.

[4] Expletis autem annis educationis suae, Moyses domum pharaonis redactus, parentes suos decore suo laetos faciebat, sed linguae suae impedimento maestos eosdem faciebat. Moyses autem e circumcisione sua nomineque suo, magis autem narratione quam secreto a matre sua sororeque audierat, sciebat se esse filium Iochaber. Cum autem appropinquaret tempus quo desinerent quadringenti anni, exiit ad tentandum num per se prospere cederet salus. Quia hic ipse praefectus quem occidit crudelior erat omnibus praefectis pharaonis, et reprehensionem — semper illum reprehendebat — non accepit, occidit illum et infodit eum in arena, eum qui angebat benedictum semen quod multiplicandum erat sicut arena; in arena, ad ripas fluminis infodiebat eum coram sociis suis quorum cadavera super arenam ad ripas maris proicienda erant. Denuo autem exiit die altero, viditque duos viros ad invicem certantes. Et cum haberet, quippe quia erat filius regis, potestatem flagelli et necis, his non usus est, ut obiurgatione iusta uteretur erga praevaricantem. Hic autem ipse reprehensionem non accipiens, accusationem homicidii in filium regis constituit coram multis.

[5] *Quis*, ait, *constituit te nobis principem* [2]? O litigator impudens, filio regis tu dicis : Quis constituit te nobis principem? Et praefectis tibi constitutis imperat, tibi autem non imperaret? Con-

[1] *Ex.*, II, 7. [2] *Ex.*, II, 14.

turbatus est autem Moyses eo quod verbum audivit ab aliquo quem non opinabatur rem percepisse. Minime quidem ille qui servatus est ab Aegyptio crudeli accusaverat eum; quia, nisi iustus esset ipse, reprehensionem quam accipiebat socius suus, ipse accepisset, non autem occidisset (Moyses) propter eum Aegyptium. Ille qui servatus est ab Aegyptiio oppressus erat, sicut puellae ad puteum aquae. Occidens igitur Moyses Aegyptium illum, voluit allevamentum dare Hebraeis ab eo oppressis. * Ipse autem qui * p. 128 servatus est, manifestavit huic ex amore, qui Moysen accusavit ex malitia.

[6] Auditum est autem hoc ipsum a pharaone et occasio facta est calumniae tribunis militum et praefectis, quos reprehenderat (Moyses), eo quod sine misericordia male tractabant Hebraeos. Pharao autem exarsit (iracundia), ita ut manus suas in sanguine filii sui lavaret et heredem coronae suae in inferos ante seipsum mitteret. Timuit autem Moyses et, ne parentes sui veri contristarentur propter tormenta sibi inflicta a parentibus suis nuncupatis, fugit in Madian et stetit ad puteum aquae; et videns pastores pigros, aquas a puellis haustas rapere cupientes, in iustitia sua (Moyses) liberavit eas a violentia eorum; et misericordia sua aquas ad oves puellarum adaquandas hausit. Cum autem quaereret pater earum de reditu earum velociori et sibi narraretur iustitia misericordiaque Moysis, mittens vocavit eum ut convivio solveret, dum domi cibat eum, gratiam puellis suis factam ad puteum aquae.

[7] Quia autem meditabatur Moyses quo iret et apud quem deversaretur, a pontifice invitatus cognovit eum a quo liberatus est a morte in flumine per filiam pharaonis, et qui vitare etiam manus pharaonis fecit eum fugiendo a conspectu pharaonis, ipsum (Deum) suggessisse menti pontificis (consilium) introducendi et faciendi eum (Moysen) sponsum filiae eius. Magos vitavit, et occurrit ei pontifex. Non autem timuit pontificem, sicut nec magos. Etenim si ipse profuit eis, ab eis ipse non laesus est. Afflictus est autem Aaron luxitque Maria et ii qui antea gloriabantur gratias ei agentes.

[8] Propter decus autem Moysis firmitatemque eius, praesertim autem quia Deus cum ipso erat, suaserunt eum ut Sephoram uxorem duceret; et, sicut exemit Iacob filias Laban a probroso servitio pastorali, ipse etiam exemit Sephoram sororesque eius ab oviario labore. Duxit autem Sephoram quae peperit ei duos filios;

* p. 129 unum autem circumcidit (Moyses), * et alterum (Sephora) non dedit ei (Moysi) ut circumcideretur; animus eius enim superbiebat patre suo fratribusque, et si Moysi uxorem esse annuit, fidem eius tenere noluit; filia pontificum erat, quae carne sacrificata enutrita est et adoratione deorum plurium assueta. Non autem ambos dedit ei (Moysi) nec a duobus prohibuit eum : unum dedit in quo vestigia essent circumcisionis Abrahae, prohibuitque alterum in quo sui patris servaretur traditio praeputii.

[9] Moyses autem, pro filiis suis (nominandis) non institit vestigiis patrum aut socerorum suorum, quia priori nomen dedit ex eo quod incola fuit fugitivus propter Deum; posteriorem autem nominavit ex eo quod liberatus est a pharaone.

Post quadraginta autem annos quibus fuit Moyses in Madian, mortuus est pharao, vexator populi, et requieverunt Hebraei a servitio suo, et recordati sunt foedus (pepigisse) Deum cum Abraham et desiisse tempus et praeteriisse etiam triginta annos. Et oraverunt propter ea et audivit eos Deus qui vidit filios Israel servientes cognovitque (Deus) tribulationem eorum et quodnam remedium afferret eis.

[SECTIO III]

[1] Moyses autem, qui pascebat oves ad latus Horeb, vidit angelum in igne ardentis rubi. Et dum progressus est Moyses ut perscrutaretur rubum in igne non comburentem, ille, cui progredienti simplex angeli visio apparebat priusquam perveniret, cum venisset non vocavit eum angelus qui apparuerat ei, sed Deus qui in angelo, postea in formidabili visione apparuit ei dixitque illi : *Ne appropinquaveris huc,* sicut ad locum profanum, *locus enim sanctus est*[1], sicut ille ubi dormierit Iacob supra, propter scalam et angelos ad custodiendum eum descendentes ascendentesque, (ita) et hic propter Deum qui versabatur in igne ardentis rubi. *Solve*
* p. 130 *autem * calceamenta tua* et vade, calca Aegyptios quia, ecce, triginta anni praeterierunt tempus vindemiae eorum. *Moyses autem,* qui antehac sine timore ibat, postquam apparuit ei visio oculis suis alta nimis, *abscondit faciem suam quia timebat aspicere in Deum,* sicut aspiciebat in angelos.

1 *Ex.*, III, 5 s.

[2] Rubus autem ille, indignus qui fieret imago deorum mortuorum, inventus est repraesentasse mysterium Dei viventis. Tibi autem, Moyses, hoc erit signi te vidisse Deum qui versatus est in igne; ita autem oportet vos servire per ignem Deo qui versatus est in igne.

[3] *Dixitque ei Dominus eius : Videns vidi servitutem populi mei in Aegypto,* ecce, ab octoginta annis; *et descendi ut opera tua mitterem ad liberandum eos et in terram Chananaeorum,* quam promisi patribus eorum, *introducerem eos. Dixitque Moyses : Quis sum ego ut vadam ad pharaonem*[2] qui, nomine regio mihi imposito, non acceptus fui illi; qui depressus sum hodie ad oviarium servitium, quis est qui me apud pharaonem intrare sinet me? Aut si introductus sum, quidnam magni videbit in me ad firmanda verba mea?

[4] *Dixitque ei Dominus eius : Congrega seniores quorum clamor ascendit coram me*[3], et dic eis me recordari de eis ut ascendere faciam eos in terram Chananaeorum. Quia times ne non audiant te, ecce ego tibi dico eos vocem tuam audituros esse; et intra cum senioribus apud pharaonem et dicetis ei : *Ibimus viam trium dierum et immolabimus Domino.* Et quia nolet pharao sinere hoc fieri, ibunt ipse et exercitus eius viam trium dierum et ipsi fient in sacrificia, animalibus volatilibusque descendentibus in corpora eorum suffocata quae supernatant et ad ripam maris. Quemadmodum autem dixi tibi, filios populi tui audituros esse tibi, ecce, dico etiam pharaonem non auditurum esse tibi; *nec fiet manu sua valida* aut idolorum suorum stantium coram ipso, sed superbia eorum, *propter quam percutiam Aegyptios omnibus mirabilibus quae faciam inter eos et tunc dimittent vos.* Ut autem certior fias futurum esse ut exeatis, * populo dabo gratiam et spoliabunt Aegyptios ipsos, ut * p. 131
ea quae pollicitus sum Abrahae hoc modo perficiam; sed ipsi propter omnes thesauros quos surripuerunt exeuntes, faciem Aegyptiorum videre amplius non poterunt.

[SECTIO IV]

[1] Moyses autem, quia cognoscebat duritiem cordis filiorum populi sui, petiit sibi signa quae possent eos certiores facere. *Non*

2 Cfr *Ex.*, III, 7 ss. 3 *Ex.*, III, 16 s.

audient, ait, *vocem meam, quia dicent : Non apparuit tibi Dominus* [1]. Deus, sciens eum quaerere signa, dixit ei : Ut credant te missum esse a me, proice virgam tuam in terram. Proiecitque eam, et facta est colubra fugitque Moyses. Signo ipso quod dedit ei (Deus) ut persuasum faceret populum, seipsum persuasum fecit : Quemadmodum times pharaonem, ita timuisti et colubram; valebis per plagas contra exercitum pharaonis, sicut per mandatum valuisti apprehendere (colubram) in virga obstrictam, quam timebas in solutam (colubram) mutatam.

Rursusque dixit ei: Infer manum tuam in sinum tuum. Et intulit eam et leprosa facta est; denuo autem intulit eam et mundata est. Prius autem iussit eum (Deus) populum suadere (signo) colubrae et manus leprosae mundataeque. Etenim, ait, non est pharao durior serpente, nec exercitus eius, ut non possim in quodcumque voluerim, eum sicut manum tuam mutare; *et si non crediderint Aegyptii his duobus prodigiis,* quae facies coram eis et coram filiis populi tui, *effunde aquam de flumine in aridam et sanguis fiet* [2].

[2] Postquam fecit (Deus) Moysi signa ab eo petita, petiit etiam a Domino suo ut lingua sua ligata solveretur. *Non sum,* ait, *vir eloquens ab heri et nudiustertius, sed ne ex hoc quidem tempore quo locutus es mecum* mutatum est balbutire meum. *Dixitque ei Dominus eius* : In hoc ipso quo minor es maior fies, quia erit tibi propheta eloquens sicut Deo tacenti; attamen *ego ero in ore tuo* [3], non ad
* p. 132 solvendam linguam tuam * aut ad locupletiorem te faciendum in retorquendo, sed ut post verbum balbutiens opus excellens sequatur.

[3] Revertit autem Moyses Madian [4] dixitque socero suo se ire visum fratres suos in Aegypto; et si moerore affecit eos discedendo ab eis, non impedierunt certe eum a voluntate Dei desursum navantis ipsis operam. Et quia Moyses praefectos Aegyptiorum, quos populum opprimentes vexaverat, timebat, ne contra se incitarent ad iram novum etiam pharaonem, *dixit ei Dominus eius : Mortui sunt omnes viri qui quaerebant animam tuam.* Deduxit autem Moyses uxorem suam filiosque et cepit virgam ut iret in Aegyptum. Rursus exeuntem illum de Madian iussit eum (Dominus) dicere pharaoni :

[1] *Ex.*, IV, 1, 6. [2] *Ex.*, IV, 9. [3] *Ex.*, IV, 10-12. [4] *Ex.*, IV, 18 ss.

Dimitte mihi filium meum primogenitum ut serviat mihi; ne forte pro (filio) meo primogenito, si prohibueris eum, quem prohibere non poteris, *occidam filium tuum primogenitum* [5], quem (occidere) possum ego. Prae omnibus plagis, hanc : quia feriam ego filium tuum primogenitum, quae maxima est omnium plagarum, dixit Deus pharaoni in sermone, effectu autem exhibuit plagam serpentis, minimam omnium.

[4]. Dum autem sunt in deversorio, occurrit Dominus Moysi quaerens occidere eum quia omiserat circumcisionem in Madian erga unum ex filiis suis qui non circumcisus est. Quia autem (Moyses) a die quo secum locutus est (Dominus) in Horeb, ad uxorem suam non coniunctus erat, quae afflicta est in corde eius, quia haud perfecte certum erat ei verbum (Moysis); propter hoc autem ipsa damnanda erat; et ipse Moyses reprehensus est eo quod illa prohibuit filium suum a circumcisione. Illis perseverantibus in hac sententia, ecce, apparuit eis ob duas causas angelus, qui credebatur propter circumcisionem tantum apparuisse. Etenim, (praeter hanc), ne despiceretur Moyses in via, qui sine coactione abstinuit se a circumcisione, cum Hebraei nec morte filiorum suorum prohibiti essent ab ea; iracunde igitur apparuit Moysi. Quemnam timere oportebat eum? Deumne iubentem circumcisionem, aut uxorem impedientem a circumcisione? * Mulier autem videns Moysen moriturum esse * p. 133
quia ipsa impedivit a circumcisione, de qua et propter quam vespere litigaverat cum ea (Moyses), *cepit silicem et* tremens in conspectu angeli *circumcidit filium suum; et reliquit eum* sanguine conspersum *et tenuit pedes angeli dicens : Sponsus sanguinis est mihi* [6]; noli afflictionem facere die convivii ob circumcisionem. Etenim, quia factum est gaudium magnum die quo Abraham circumcidit Isaac, (haec) dixit : Sponsus sanguinis est mihi etiam. Si propter me quae circumcidi manibus meis filium meum et propter Moysen, non facis, fac ipsius mandati circumcisionis gratia, quod peractum est.

[5] Moysi autem ab (angelo) relicto ianua patefacta est ad dicendum Sephorae : Si tu (angelum) tantum timuisti qui una hora apparuit tibi, me quantum terret et sacrat animam meam Deus qui omni tempore videtur a me et per me miracula operatus est et ad

[5] *Ex.*, IV, 22 s. [6] *Ex.*, IV, 24 s.

salutem sexcentorum millium hac virga me instruxit, mittens me. Redire autem fecit Sephoram, primo propter filium suum circumcisum, ne gravior illi fieret fatigatio in itinere; secundo autem ne intraret Sephora cum filiis suis in Aegyptum, eo tempore quo omnis Israël ab Aegypto exiret.

[6] Apparuit autem Dominus Aaroni et misit eum in occursum Moysis, ut, eo quod opere compleretur quidquid dixerit illi in sermone suo, crederet etiam futura esse et quae post haec, sicut haec omnia complenda essent. Ambo autem (Moyses et Aaron) congregaverunt seniores feceruntque signa coram eis, sicut iussum erat eis et crediderunt Moysi, sicut dixerat ei Dominus.

[SECTIO V]

[1] *Et simul ingressi sunt apud pharaonem, et dixerunt ei : Sic dicit Dominus : Dimitte populum meum ut festum celebrent mihi in deserto* [1]. Pharao autem, propter multitudinem seniorum populi, et quia audierat de signis coram senioribus factis, non aspere respondit ei, sed dixit * illis : *Quare, inquit, Moyses et Aaron cessare facitis populum ab opere suo?* His autem rursus dicentibus ei, ira accensus est nec petiit signum ut dimitteret populum, sed dixit : *Quis est Dominus ut audiam vocem eius?* Quia dixit : Quis est Dominus qui non visus est ei in figura, necessario videbitur ei per signa; etenim (pharao) ipse vocavit plagas verbo illo aspero quod locutus est : *Quis est Dominus?* * p. 134

Non autem ei amaro satis fuit id quod dixerat, sed addidit et prohibuit populum a palea, ut essent in hac necessitate, ne sederent cogitantes de exitu (eorum). Dispersus est enim populus ad foena colligenda, quae magno labore inveniebantur; mensis enim Nisan erat, tempus flosculorum non autem Tammuz aut Ab [2], tempus horreorum. Conquesti sunt autem apud pharaonem scribae populi quia vexati essent a praefectis pharaonis, qui non misertus est eis, sed dixit eis : *Quia otiosi estis quaeritis ire ad sacrificandum Domino* [3].

[2] *Ut autem viderunt scribae (populi) filios Israel male se habentes* et conquesti sunt ad Dominum de domo Moysis coram Moyse,

[1] *Ex.*, v, 1 s. [2] Id est, non Quintili vel Sextili mensibus, sed Aprili.
[3] *Ex.*, v, 6-9.

dixit Moyses Domino : *A (die) quo locutus sum in nomine tuo cum pharaone* [4], ne salus quidem cuius spes erat populo, facta est eis quorum angustiae factae sunt graviores prioribus.

[SECTIO VI]

[1] *Dixitque Dominus Moysi : Si pharao petit signum, proice virgam (tuam) coram pharaone et fiet draco. Vocavit autem pharao magos, et fecerunt similiter incantationibus suis* [1]; id est, imitati sunt facientes similiter. Etenim id quod dicitur : *incantationibus suis fecerunt*, non praeter consuetudinem suam fecerunt, qui consueto artificio suo usi sunt. Quibus autem spes erat in hoc (artificio) vincere Moysen, quia fecerunt imitationem huius quod fecerat, victi sunt defectu non obliviscendo : devoravit virga Moysis * virgas eorum. Qui credebant naturas mutavisse, virgas suas a virga Moysis servare non potuerunt. * p. 135

Devoraverat virga virgas, ne mors primogenitos devoraret. Etenim e virgis devoratis discendum erat a (pharaone), nisi ipse paeniteret, futurum esse ut primogeniti etiam devorarentur. Prius dixit (Deus) ut paeniterent, quod non factum est. Rursusque reposuit (hanc plagam) quia gravior est, post omnes alias, ut si prioribus correcti fuissent, liberati essent a (morte) primogenitorum, quae crudelissima est omnium quae prius ipsa.

[SECTIO VII]

[1] *Dixitque Dominus,* minime quidem: Induravi cor eius; *sed induratum est cor pharaonis, nec vult dimittere populum. Rursusque dixit Dominus Moysi : Egredere ad eum et sta super ripam fluminis* [1]. Ad libamen forsan faciendum egrediebatur mane ad flumen, aut ad se oblectandum in eo quotidie ibat mane; ob fiduciam autem suam in magos suos, verisimile est ipsum ad flumen Aegypti regem Aegypti libationes offerre.

[4] *Ex.*, v, 22 s.
[1] *Ex.*, VII, 8 ss.
[1] *Ex.*, VII, 14, 22.

Exiit autem Moyses dixitque ei, in nomine Domini sui, ut demitteret populum et, eo nolente, se percussurum esse flumen; et cum hoc pharao prior polluisset sanguine puerorum in illo submersorum, aquas illius vertendas esse in sanguinem, et pisces cadaveribus infantium pinguescentes morituros esse. Haec etiam plaga ad terrendum erat, quia mortui sunt pisces vice primogenitorum; eo autem quod (pharao) sibi non persuasum habuit ob mortem piscium, sibi persuasum habuit ob mortem primogenitorum. *Similiter autem fecerunt etiam magi incantationibus suis,* nec prohibuit eos Moyses.

[2] Si autem adversus Moysen fuissent, (hic) prohibuisset eos plaga priore, is qui cessare eam fecit et fugavit eos in plaga ulcerum; sed quia in hac ipsa (plaga) adversus populum suum erant, non prohibuit eos quin cum ipso ferirent Aegyptum : cor enim dis-
* p. 136 sentiens Deo, nec secum ipse consentit. * Etenim magi potius quam caederent eos qui affligebant populum suum, aut eis obsisterent ne populus suus vapularet, ipsi populum caedentes assisterunt Moysi, qui non prohibuit eos, ut in ipsis etiam ruinarum eorum reparationibus, ruinas Aegypti multiplicaret.

Donec enim mutarent naturas, — quod gravius esset, — curam egerunt de naturis, ne mutarentur, quod facilius fuit; donec vertebant aquam in sanguinem et affligebant Aegyptum, ipsum sanguinem vertant in aquam et affligant Moysen. Hoc autem non fecerunt, quia facere non poterant; quia ea tantum faciebant quae facere assueverant artificio suo.

[3] Post hoc autem denuo scriptum est, minime quidem : Obduravit Dominus cor eius, sed : *Induratum est cor pharaonis; et non audivit eos, sicut dixerat Dominus Moysi.* Et denuo dixit : *Avertit se pharao et ingressus est domum suam, et hoc non reduxit ad mentem suam* [2].

[4] Et cum hoc non habuisset sibi persuasum pharao, rursus *Aaron extulit manum suam* [3] per virgam, in signum crucis; illa (virga) qua factum est initium plagarum omnium, cum serpentes devoravit, eo modo quo occisura erat (crux) omnia idola, per eam perfecta est in medio maris submersio Aegyptiorum, quibus ruina Chananaeorum praefigurata est.

[2] *Ex.*, VII, 23. [3] *Ex.*, VIII, 6.

[SECTIO VIII]

[1] *Ascenderunt autem ranae operueruntque terram Aegypti; et fecerunt magi incantationibus suis similiter* [1]. Si dilexissent Aegyptum, ranas desinere fecissent, nec ranas typicas ranis Moysis addidissent; nullum enim remedium habebant qui ranas Moysis veris perire non poterant facere; sed ne percutiebant quidem ii qui exhibebant similia ranis vice ranarum; nec plagam igitur neque remedium inferebant illi qui opus hallucinationum tantum faciebant.

Mortua est una generatio piscium alteraque generatio ranarum progenita est; qui non afflicti sunt a piscibus morientibus, afflicti sunt * a viventibus ranis. Petiit autem pharao tempus quo * p. 137
transirent ranae, et mortuae sunt congregatae acervatim, ne crederetur hoc esse phantasiam [2]. *Et data requie, induratum est cor pharaonis, nec audivit eos.*

[2] Rursus percussit Aaron virgam suam in pulverem terrae, et facti sunt *pediculi in hominibus et iumentis et in universa terra. Fecerunt autem* etiam *magi incantationes suas,* non ut augerent pediculos, sicut in prima (plaga), sed ut educerent eos, et non potuerunt. Quam ob rem coartata arte fallaci sua, despectaque, confessi sunt : *Digitus Dei est.* Non autem credidit Moysi pharao neque magis quidem suis sibi dicentibus : Digitus Dei est. Scriptum est, minime quidem : Induravit Dominus cor eius; sed : *Induratum est cor pharaonis, qui non audivit eos, sicut dixit Dominus* [3].

[3] Quia autem plaga fluminis et ranarum et pediculorum terra Gessen, a filiis Israel habitata, una cum terra Aegypti afflicta est, per plagam insectorum colluvionis, terras discrevit; quia in Aegyptum intulit eam (plagam), et in terram Gessen non intulit eam. Dixit autem pharao domui Moysis : *Ite,* et ubicumque placuerit vobis, in terra nostra *sacrificate sine timore Deo vestro.* Dixitque Moyses : Quia tauros et oves immolamus; et hoc est quod adoratis vos; *si deos Aegyptiorum coram eis nos immolamus, lapidabunt nos; sed viam trium dierum pergemus ut immolemus ei, sicut praecepit nobis. Dixitque pharao : Ego dimittam vos; tantummodo ne longius abeatis, et orate etiam pro me* [4]. Praeterita autem insectorum colluvione, mentitus est pharao non dimittens populum. Et intulit post

[1] *Ex.*, VIII, 6 ss. [2] φαντασία. [3] *Ex.*, VIII, 16-19. [4] *Ex.*, VIII, 24-29.

hoc (Dominus) plagam pestem in pecus eorum, discretione facta inter Hebraeorum pecus et Aegyptiorum. Ne hanc ob causam quidem (pharao) persuasum habuit demittere populum.

[SECTIO IX]

[1] Rursus *Moyses sparsit cinerem coram pharaone et diffusa sunt ulcera in hominibus et iumentis, nec potuerunt magi stare* * *contra Moysen* [1], quia nec in corporibus Hebraeorum poterant facere similia ulceribus, nec in suis corporibus locus supererat sanus ubi facerent ea. * p. 138

[2] Rursus adduxit pestem in pharaonis domum et populum, dixitque ei : *Idcirco posui te in contentionem,* id est, idcirco non interfeci te priore plaga, *ut ostenderem tibi virtutem meam* per castigationes a me illatas in terram tuam. *Cras pluam grandinem validam nimis*; sed mitte, *congrega iumenta* [2] quae relinquuntur tibi a peste, ne forte grando occidat ea.

Considera autem quam firmam voluntatem habuerit non feriendi Aegyptum Deus eo quod prius dixit quidnam facturus esset ut paenitentiam agerent illi, ipse autem non ageret; rursusque eo quod iussit mittere et iumentum congregare. Si enim, sicut illis iubebatur, congregata sunt iumenta eorum, grando ad quid veniet? Descendit autem grando ut manifestaretur miraculum, occisis iumentis eorum qui non crederent; congregata autem sunt iumenta et curam agebat de paenitentium sorte.

[3] *Descendit autem grando et ignis* simul, nec grando exstinxit ignem, nec ignis grandinem tabefecit; incendium fecit in grandine sicut in spinis, et rubram fecit eam sicut ferrum in igne, ardens in grandine et cavens ab arboribus; violentia eius in arborem quae ab aeterno innata est, et ignis qui est in ea, septa hortosque et vinea servabat.

[4] *Dixit pharao Moysi : Peccavi hac vice* [3]. Et vicibus prioribus, is qui durum se exhibuit, annon peccaverat? Etiam si peccavit vicibus prioribus, (tamen) sicut hac vice, nondum peccaverat. Etenim, monitus a (Domino) ut congregaret iumenta sua, non credidit; idcirco graviorem quam in omnibus plagis fecit iniquitatem suam in hac plaga.

[1] *Ex.*, IX, 10-12. [2] *Ex.*, IX, 19 s. [3] *Ex.*, IX, 27 ss.

Exiit autem Moyses et elevatione manuum suarum cessarunt clangores (tonitruorum), nec imber super terram descendit. Aut enim in aere (imber) evanuit, aut in nubes densus factus est et ascenderat; non enim levis erat in descensu suo exinde, * sicut levis erat in ascensu suo illuc. *Durum autem se exhibuit postea pharao et servi eius, nec dimisit populum.* * p. 139

[SECTIO X]

[1] *Dixitque Dominus Moysi : Vade ad pharaonem* [1] et noli timere superbiam eius; *ego enim induravi cor eius* per patientiam quam in plagis a te illatis exhibebam ei, ut certior fierem paenitentiae eius. Non ignorabam nempe fallaciam eius : praedixeram enim tibi non vos auditurum esse pharaonem, sed me facturum esse signa enarranda generationibus vestris.

[2] Dixitque Moyses pharaoni : *Nisi dimitteris populum, ego mittam locustam quae manducet quodcumque vobis residuum est grandini. Dixerunt autem servi pharaonis ad eum : Usquequo retinebitur populus in scandalum nobis?* Vadant, *sacrificent Domino* [2]; ne plagae fiant animabus nostris, sicut terris et peculiis nostris. *Dixitque pharao Moysi : Abeuntibus vobis cum sarcina vestra, accidet vobis malum ab uno ex regibus* [3]. Si autem e malo servares eum, malum in terra tua non inflixisses ei; et si ex amore retineres eum, retinendo paleam tuam iugum tuum gravius non imposuisses super eos. Nunc autem populus, qui hunc Deum facientem omnia miracula habet, cuiuscumque duritiam non timet.

[3] Rursusque induxit Moyses locustas quae devoraverunt herbam et quodcumque residuum erat grandini. Dixitque pharao : *Peccavi in Dominum et in vos; et nunc dimittite malitiam meam.* Si autem induratus esset, hoc non dixisset, quia cor induratum contritioni alienum est. Si vero flagellatus orabat, allevatusque rebellabat, hic liber fuit, et, ecce utrumque testificatur illum esse liberi arbitrii. Locustae autem profectae sunt verbo Moysis; et praecessit locustas paenitentia pharaonis.

[4] Rursus induxit Moyses tenebras super totam Aegyptum, tribus * diebus et noctibus; et Hebraeis lux erat ut quiescerent a laboribus suis et disponerent negotia exitus sui.

[1] *Ex.*, X, 1 ss. [2] *Ex.*, X, 4 ss. [3] *Ex.*, X, 7 s.

[5] *Et dixit pharao Moysi : Ite cum mulieribus et filiis vestris, et servite Domino, tantummodo pecora relinquite*[4], ut credamus vos redituros esse. *Dixitque Moyses :* Pauca sunt pecora nostra sacrificiis maximis quae offeremus Deo nostro; idcirco *te etiam oportet nobis dare animalia,* si relicta sunt tibi, ut ex iis sacrificemus coram Domino. Attamen nec nos *quidem scimus quid sacrificemus ei, donec ipse Dominus secernat sibi electa e pecoribus nostris. Et induravit Dominus,* ait, *cor pharaonis et noluit dimittere populum.* Si autem ipse (Dominus) indurasset eum, in corde a Deo indurato nulla mutatio inventa esset. Si vero, tempore castigationis dicebat : Dimittam, tempore quo cessat (castigatio), se abstinebat nec dimittebat, haec induratio non fuit a Deo, sed ab animo intimo qui, in verberatione, se submittit mandato servando, et in allevationibus, calcat leges tuas.

[SECTIO XI]

[1] *Dixitque Dominus unumquemque petere a vicino suo vasa aurea et argentea, quia media nocte morientur primogenita Aegypti et primogenita iumentorum; et erit ululatus magnus in universa Aegypto*[1], sicut fuit ululatus in omnibus domibus Hebraeorum, quando pueri eorum in flumen proiciebantur. *Descendent servi tui ad me et dicent mihi : Egredere, tu et populus hic et tunc egrediar.* Haec nempe plaga, quae dimisit populum, pharaonem perseverare fecit in contentione, eo quod prima non fuit tempore.

[SECTIO XII]

[1] *Mensis,* ait, *hic erit principium mensium anni. (Die) autem decima huius (mensis) capiant singuli agnum per domos; et serva-*
* p. 141 *tus erit ab eis * usque ad decimam quartam diem et immolabunt eum ad solis occasum; et aspergant sanguine limina et superlimina domorum in quibus manducent eum*[1].

[2] Agnus autem typus est Domini nostri, qui decima die (mensis) Nisan (Aprilis), venit in uterum; a die decima enim mensis

[4] *Ex.*, x, 24 s.
[1] Cfr *Ex.*, xi, 2, 8.
[1] *Ex.*, xii, 2-7.

septimi quo nuntium acceperat Zacharias de nativitate Iohannis, et usque ad decimam (diem) mensis primi, quo nuntium accepit Maria ab angelo, sex menses sunt; propter quod dixit ei angelus : *Hic mensis sextus est mensium illi quae vocata erat sterilis*[2].

[3] (Die) decima igitur, quo inclusus est agnus, conceptus est Dominus noster; et (die) decima quarta, quo immolatus est, typus eius crucifixus erat; azymus (panis), de quo loquitur, cum amaris (plantis) : azymis (panibus) typus novitatis eius figuratus erat; amaraque (cum eo), quia tristes erant qui capiebant eum; et assatus (comedebatur) : significat eum igne coctum esse; et praecinctis renibus vestris (comedetis) et calceamenta vestra in pedibus vestris : significat collegium novum discipulorum paratum esse ad exeundum ad evangelia praedicanda; et baculi in manibus vestris : cruces sunt quae super humeros eorum; et stantes pedibus suis, quia nullus est qui sedens accipit Corpus vivum; et nullus alienigena manducet ex eo, quia nisi baptizatus nullus manducat de Corpore; et : ossa non frangantur in eo, quia, etsi perforatae sunt manus et pedes Domini nostri, et latus eius transverberatum est, attamen os non fractum est in eo.

[4] Mortui sunt autem primogeniti Aegyptiorum media nocte, et unusquisque solus in domo sua, super primogenitum suum, principem filiorum suorum, plangebat. Quia impletum est flumen primogenitis Hebraearum, impleta sunt sepulcra Aegyptiorum primogenitis Aegyptiarum.

[5] *Et vocavit pharao domum Moysis dixitque eis :* Exite cum omnibus possessionibus vestris *et benedicite etiam mihi*[3]. Moyses de servis pharaonis dixerat eos petituros esse ut abirent; magis autem quam id quod dixit factum erat, quia pharao, ipse vice servorum suorum, petiit ab eo ut abirent. Urgentes autem ad exitum * p. 142
coegerunt eos, * non quia paenitentes, sed quia opinati sunt omnes sicut primogenitos suos morituros esse.

[6] *Profecti sunt autem de Ramesse sexcenta millia (virorum) et commorati sunt in Socoth. Mansio qua manserunt in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum*[4]. Hic autem numerus non ab ingressu Iacob computandus est, sed a die quo inivit Deus foedus cum Abraham.

[2] *Luc.*, i, 36. [3] Cfr *Ex.*, xii, 31 s. [4] *Ex.*, xii, 37-40.

[SECTIO XIII]

[1] *Cepit autem* populus praedam Aegyptiorum *et Moyses ossa Ioseph, et profecti sunt armati.* Ab ipso autem primo die *obumbravit eos Dominus nube per diem, per noctem autem columna ignea* [1].

[SECTIO XIV]

[1] *Reversum est autem cor pharaonis et servorum eius et dixerunt* [1] *:* Quid fecimus, qui post omnia verbera in nos advenientia, dedimus exitum Hebraeis diripientibus gazas nostras et vestimenta nostra. Mors autem melior est nobis ne Hebraei derideant regnum Aegyptiorum.

[2] Confortati autem exierunt confidentes, ut populum destruerent et gazas suas cum gazis populi caperent; exivitque pharao cum exercitu adversus Hebraeos qui *exierant manu excelsa,* id est, cum argento et auro vestibusque et armentis, et sanitate, sicut Deus ad Abraham pollicitus erat.

Filii autem Israël, videntes Aegyptios timuerunt [2]; et quot erant Aegyptii ut millia sexcenta Hebraeorum timerent eos? Propter mulieres eorum et filios atque armenta quae cum eis erant, dissolutae sunt vires eorum; quia, quisnam provideat familiae eorum et quis custodiat armenta eorum?

[3] Dixitque eis Moyses : Quemadmodum in Aegypto ita et hic, *Dominus pugnabit pro vobis, tacentibus vobis* [3]. Dixitque Dominus ad Moysen : Quid oras me ut faciam tibi, * quia paratus sum idipsum facere populo tuo, antequam oraveris me? *Eleva virgam tuam,* — quae est Crucis signum — *et percute mare et divide illud. Et ecce, ego indurabo cor,* — id est non cohibebo audaciam, — *Aegyptiorum ita* ut, videntibus illis miraculum novum maris divisi, ipsis non monitis, propter hoc glorificer in ruina a me facta pharaonis et totius exercitus eius. *Et scient Aegyptii,* priusquam moriantur, *me esse Dominum.* Hoc est quod dixerunt : *Fugiamus a conspectu filiorum Israel, quia Dominus fecit pro eis bellum contra Aegyptum* [4].

* p. 143

1 Cfr *Ex.*, XIII, 19 ss.
1 *Ex.*, XIV, 5, 8. 2 *Ex.*, XIV, 10. 3 *Ex.*, XIV, 14-16. 4 *Ex.*, XIV, 17 s.

[4] *Et abstulit angelus columnam nubis praecedentem eos, posuitque eam inter castra Hebraeorum et Aegyptiorum* [5]; et ab ea quae per diem obumbrabat in populum, posita per noctem inter (utraque) castra, obortae sunt tenebrae inter Aegyptios, sicut illae quae factae sunt tribus diebus noctibusque inter eos; filiis autem Israël lux erat propter columnam igneam illuminantem eos.

Hoc autem factum est ad terrendos Aegyptios animandosque Hebraeos. Si enim his tenebris (Aegyptii) correcti fuissent, non ausi essent temere in mare descendere. Mare autem quod in ictu oculi potuerat dividi propter paenitentiam Aegyptiorum, per totam noctem laboravit in illud ventus fervens et reduxit illud et siccum posuit illud.

[5] Persecuti sunt autem Aegyptii Hebraeos, nec timuerunt tenebras quae inter se et Hebraeos, nec ob mare divisum tremuerunt; et noctu, in mari diviso ad debellandum populum ad cuius caput progrediebatur columna ignea persequebantur.

Ad vigiliam autem matutinam revelatus est Dominus Aegyptiis conturbavitque eos; et rotas curruum eorum vinxit [6], sive ne persequerentur populum, sive ne fugerent e conspectu maris. Non autem Dominum qui apparuit eis timuerunt, nec a rotis suis vinctis reprehensi sunt; et curribus suis invehi ausi sunt cum violentia.

[6] Eo autem quod scriptum est : Quando divisum est mare, *elevasse Moysen manum suam super mare,* et quando rediit (mare) iterum in locum suum scriptum est demisisse Moysen * manum suam super mare, (ideo) videtur ab eo (tempore) quo divisum est et usque ad illud quo transierat totus populus, certo extendisse Moysen manum suam sicut id quod factum est postea, (tempore) belli cum Amalec [7].

* p. 144

[7] *Afflixit autem Dominus Aegyptios... nec unus quidem superfuit ex eis, ... videruntque Hebraei Aegyptios morientes ad litus maris,* sicut viderant Aegyptii filios Hebraeorum congregatos ad ripam fluvii. Propter ea autem quae facta sunt in Aegypto et ad mare, *credidit totus populus Domino et Moysi servo eius* [8].

5 *Ex.*, XIV, 19 ss. 6 *Ex.*, XIV, 25. 7 Cfr *Ex.*, XVII, 8-16; *Ex.*, XIV, 21.
8 *Ex.*, XIV, 31.

[SECTIO XV]

CANTICUM MOYSIS

[1] *Cecinit autem Moyses,* inquit, *et filii Israel canticum hoc Domino.* Moyses autem canebat et recantabat totus populus post eum. *Cantate Domino glorioso,* id est, Domino qui vindictam sumpsit de equis et equitibus eorum *quos proiecit in mare. Fortis et laudabilis,* fortis submergendo Aegyptios, laudabilis autem servando Hebraeos. *Iah Dominus,* id est, ipse Dominus qui erat, *ipse factus est nobis servator,* non autem vituli nunc conflati. *Hic est exinde Deus meus, glorificabo eum; Deus patris mei* Abrahae, *exaltabo eum. Dominus heroicus et bellator,* qui bellum pro nobis fecit cum Aegyptiis, quiescentibus nobis. *Currus* magnificos *pharaonis exercitumque eius* fortem, quo superbus erat, *proiecit in mare, et electi ex heroibus eius,* quos discrevit et emisit in nos, *submersi sunt in mari Sup; descenderunt in profundum et submersi sunt quasi lapides* antequam tumuerunt cadavera eorum. *Dextera tua, Domine, magnificata est in virtute,* id est possidet virtutem *ad destruendos* Aegyptios, *hostes tuos. Misisti iram tuam et devoravit eos* in Aegypto et in mari, *sicut stipulam; et in spiritu tuo coacervatae sunt aquae,* sive quia ventus a te immutatus coacervavit aquas ut dividerentur; sive quia oris tui mandato didicerunt fluctus sicut in utris subsistere, donec transierunt sexcenta millia filiorum Israel. *Resederunt abyssi in corde maris* ut submergerentur Aegyptii; et, ad significandum
* p. 145 ob * quam causam submersi essent, scriptum est : *Dixit inimicus : Comprehendam eos et dividam spolia et vorabit eos anima mea,* et cetera. *Flavit autem spiritus tuus et operuit eos mare,* et evanuerunt cum eis consilia eorum amara. *Quis similis tibi, Domine,* inter deos celebres? *Quis similis tibi magnificus in sanctuario suo,* id est, in habitaculo suo sancto, *terribilis* Aegyptis et *laudatus* ab Hebraeis, *et faciens mirabilia* in mari et in terra Aegyptiorum; *deduxisti benignitate tua,* per nubem et columnam (igneam) *populum hunc quem servasti* ab Aegypto. *Audierunt populi,* id est, audierunt Amorrhaei de flumine in sanguinem converso, et tremuerunt; *et pavor apprehendit incolas Palestinae,* propter Aegyptiorum primogenitos mortuos; *magnates Edom et principes Moab apprehendit eos pavor* ob mare divisum; *dispersi sunt omnes habitatores*

Chanaan et irruit super eos timor, id est, *confracti sunt habitatores Chanaan,* audientes submersum esse pharaonem cum exercitu suo in mari. *Irruit in hos* populos *tremor,* ne forte irent ad pugnandum nobiscum, *donec pertransiret inter illos populus quem servasti. Plantabis eos in monte hereditatis tuae,* id est, in terra Chananaeorum. *Stabilimentum habitationis tuae* in Ierusalem *fecisti, Domine sancte; Domine, firma illud manibus tuis,* id est, a temetipso fiat stabilimentum eius. *Dominus regnabit super nos in aeternum,* non autem populi alii. *Ingressi sunt currus pharaonis et equites eius in mare* ad apprehendendum nos *et reversae sunt super eos aquae et operuerunt eos.*

[2] *Sumpsitque,* ait, *Maria prophetissa...* [1] Et quomodo prophetissae munere functa est? Sive sicut mulier Isaiae quae honorata est nomine prophetiae, cum prophetissa non esset, (sive) etiam quia iusta erat.

[3] In duas igitur partes divisus erat illo die populus, ut canticum splendidum cantaret ei qui divisit mare et submersit persecutores eorum illo die. Moyses quidem viris praecinebat et Maria mulieribus : *Cantate Domino glorioso, qui glorificatus est,* propterea quod sine labore destruxit eos, qui tranquillus has plagas omnes intulit super eos.

* [SECTIO XVI] * p. 146

[1] Postquam autem transierunt mare, voluit Deus tentare eos denegando aquas, et suscensuerunt propter aquas in Mara; *ostenditque Deus lignum Moysi quod proiecit in aquas et dulces factae sunt* [1]: lignum autem typus fuit Crucis qua futurum erat ut dulcis fieret amaritudo gentium. Postquam autem mutavit (Deus) aquas, leges tulit (Israelitis) ut naturam aquae mutaret vis ligni, libertatem quoque demulceret lex suaderetque.

[2] Postquam tentati sunt in Mara, *venerunt in Elim* et ex Elim in desertum Sinai. *Et murmuravit populus* [2] propter carnium (ollas), deditque illi (Deus) panem de caelo quem colligerent ad mensuram cibi diurni nec haberent curam crastinae diei. Et si fuit qui aviditate sua plus, aliusque fiducia [3] sua minus caperet, gomor

1 *Ex.*, xv, 1-21.

1 *Ex.*, xv, 22 s. 2 Cfr *Ex.*, xvi, 2-31. 3 *Ex.*, xvi, 35; vel: *neglegentia.*

ipsum auxit quod deficit comminuitque quod superest. Opera autem quam navabant ad manna, eo consilio erat ne corrumperet eos otium. Sic datum est sabbatum propter servos mercenariosque et taurum ac asinum. At diem illum non servabant illi qui de populo egressi erant ad manna colligendum nec invenerunt.

[3] Et quod dictum est, simile esse (manna) *coriandro gustumque eius sicut favi,* ut doceretur manna omni sapore conditum esse. *Impleverunt autem eo vas ut servaretur per saecula,* et quod pernoctans apud eos scaturire vermes faciebat, fuit per saecula in vase, nec vermis ortus est ab eo. *Comederunt autem manna quadraginta annos, donec accederent ad fines Terrae Promissionis* [4].

[SECTIO XVII]

[1] Et postquam *venerunt in Raphidim nec erat aqua,* desierunt murmurare et iurgari coeperunt [1]. *Dixitque Moyses* in oratione sua : *Quid faciam quia adhuc paululum lapidabant me?* Saltem ne moriar inter manus eorum, da eis aquam ut requiem dent mihi. * p. 147 Et scaturire fecit * eis coram senioribus aquam de Horeb; et quia dixerant : *Quomodo Dominus est inter nos,* quorum ne aqua quidem satiantur animae (ideo) aquis, quas fluere fecit coram senioribus, certiores facti sunt ipsi Dominum esse inter eos in veritate. Et qui obliti sunt signa priora, etiam alia experti sunt, cum haberent continua (signa) nubis et columnae mannaeque et coturnicum; sed quia perstiterant eis non aestimabant ea esse signa, et propter hoc signis novis experti sunt utrum esset Dominus inter eos, annon.

[2] Postea *venit Amalec ut pugnaret contra eos* [2] et exivit Iosue (bar Nun) adversus eum, Moysesque ascendit montem habens virgam Dei in manu sua. Virgam autem nisi tempore miraculorum et prodigiorum non tenebat Moyses ut certior fieres hoc esse signum Crucis qua et cuius virtute operabatur omnia mirabilia. Ascenderunt autem cum Moyse Aaron et Hur, qui dicitur maritus sororis Moysis esse. Cum levaret autem Moyses manus suas, praevalebat Israel et trucidabat audaciores gentium, qui irruentes veniebant pugnatum adversus populum; et demissis (manibus) praevalebant

4 *Ex.*, XVI, 35.
1 *Ex.*, XVII, 1-7. 2 Cfr *Ex.*, XVII, 8 ss.

gentes ita ut caederent eos qui semper murmurabant contra Dominum et contra Moysen. In Moyse autem, elevatis manibus eius et erecta virga super pectus eius, aperte videbatur signum Crucis. Iosue (filius Nun) laborabat in planitie, Moyses autem in monte; populo vidente eum demittentem manus eius, tremor coepit reverti in eos coram hostibus; elevante autem eas (Moyse), confortati sunt (Israelitae) ut aggrederentur inimicos suos.

[3] *Dixitque Dominus Moysi : Scribe hanc memoriam in libro... quia certe delebo memoriam Amalec* [3]. Scribe, inquit, ut audiant omnes gentes et timeant venire ad belligerandum vobiscum, et ut Amalecitae resipiscant et irritam faciant sententiam contra se illatam.

Aedificavitque Moyses altare cuius nomen vocavit : Deus expertus est, scilicet * quia, ecce, experti sunt in Amalec bellicosa, omnes * p. 148 gentes hac debiliores, si veniant belligeratum, ipsas etiam sicut ea destruendas esse. Et quanquam compertum est eis e manibus Moysis pendere salutem perniciemque suam, non petierunt (foedus) manu dextera (firmatum). Dicitur enim : Da manu dextera (firmatum foedus) civitatibus, priusquam bellum cum eis facias.

[4] *Et ecce manus Iah super solium,* scilicet, quia manus Domini super solium iudicii quod statuit Deus Moysi in populum. Et *bellum habet Dominus cum Amalec a saeculo in saeculum* [4], id est, donec perdat eum.

[SECTIO XVIII]

[1] *Venitque Iethro, socer Moysis* [1]*... exivitque Moyses in occursum eius;* et consuetudinem adorandi eum dum hospes eius erat, retinuit etiam post omnia mirabilia a se facta. Postquam autem adoravit socerum suum, narravit etiam mirabilia a se facta, ita ut discipularet eum. Moyses qui per quadraginta annos quibus cum ipso erat non discipulaverat eum verbis, per mirabilia audita discipulavit eum. Et dixit : *Nunc vero cognovi maiorem esse Dominum* qui ea fecit vobis *omnibus diis* qui adorantibus se eadem facere non possunt. Quod autem dixit : *Propter consilium* (Aegyptiorum) *susceptum contra* (Israelitas) [2] : sive ut occiderent parvulos ad

3 *Ex.*, XVII, 14. 4 *Ex.*, XVII, 15-16.
1 Cfr *Ex.*, XVIII, 5 ss. 2 *Ex.*, XVIII, 11.

delendum populum; sive ut (pharao) negaret paleas populo ad commovendum odium eorum in Moysen; seu, id quod cogitabant, pereuntibus in deserto (Israelitis), exinde aliena cum suis (bona) se arrepturos esse.

[2] *Cepitque Iethro sacrificia Domino*[3], sive per Moysen offerebat, sive seposuit certe ut loco, ubi vellet Dominus, ea immolarent. Consilio eius fecit Moyses duces millium, centumque et duces quinquaginta decemque (virorum), qui iudicarent populum, hoc assumentes ab eo. *Et postea rediit Iethro in regionem suam.*

* p. 149

* [SECTIO XIX]

[1] *Mense autem tertio,* post quadraginta quinque dies, *ab exitu eorum de Aegypto, ascendit Moyses in montem ad Deum, qui dixit ei : Vos ipsi vidistis quid fecerim Aegyptiis,* nempe plagas adductas a me super eos terra marique; *et assumpsi vos velut super alas aquilae,* per nubem ducentem vos, et *adduxi vos apud me* ad hunc montem. Et nunc, *si auditis vocem meam, eritis mihi dilecti prae omnibus populis,* eo quod vos solos elegi prae omnibus gentibus, *ut fieretis mihi regnum sacerdotesque et populus sanctus*[1]; scilicet quidam reges, et quidam sacerdotes, at omnes sancti ab omnibus immunditiis gentium.

[SECTIO XX]

[1] Et illic imposuit eis mandata, dicens : *Ego sum Dominus, ulciscens peccata patrum in filios, usque ad tertiam et usque ad quartam generationem eorum qui oderunt me*[1]; scilicet quod, si suffert longanimitate sua (hominem) malum filiumque eius et filium filii, tamen, nisi paenitentiam egerint, adducet (poenam) eorum in caput quarti imitantis malitiam patrum eius. *Et faciam iustitiam in mille generationes diligentibus me, et custodientibus mandata mea,* sicut id quod feci tibi et populo tuo propter patres vestros de domo Abrahae et Isaac.

[2] Omnia autem mandata quae imposuit eis connexa sunt huic ipsi verbo : Id quod tibi odiosum est ne socio tuo feceris. *Non*

3 *Ex.*, XVIII, 12 s., 27.
1 Cfr *Ex.*, XIX, 1 ss.
1 *Ex.*, XX, 5 s.

occides, ait, ne teipsum alius occidat. *Non moechaberis cum uxore sodalis tui,* ne per uxorem tuam sumatur de te ultio iniuriae quam retulisti in uxorem socii tui. *Non furaberis* quod tuum non est, ne alii furentur quod tuum est. *Nullum dices testimonium falsum in socium tuum,* ne alius in te dicat testimonium mendax. *Non concupisces quodcumque est socio tuo*[2], ne alius concupiscat quod est in domo tua.

* [3] Considera nempe optime dixisse Dominum nostrum : *In duobus his mandatis pendet Pentateuchus,* — id est leges naturae quae sunt in Pentateucho *et in prophetis*[3] — praeter leges quae recentius latae sunt propter causas adventitias : *Altare de terra aedificabis;* et : *Non concutietis ferro lapidem ne polluatur;* hoc est illud : *Videte me de caelo loquentem vobiscum;* et : *Ne feceritis mecum deos aureos et cuiuscumque generis;* et : *Nullus ascendat per gradus ad altare meum*[4], ne ullo modo lapis polita illic inveniatur, ne forte qui poliverunt gradus altaris, ipsum altare sibi ut deum colerent. * p. 150

[SECTIONES XXI-XXII]

[1] Hoc ipso die posuit eis sententias legum viri ad socium eius : *Vendens vir filiam suam in ancillam, si odiosa fuerit domino eius nec duxerit eam,* sicut pollicitus erat concupiscens eam, *ne vendat eam populo alieno, quia mentitus est ei*[1] postquam suam satietatem cepit.

[2] *Qui percusserit virum, et hic mortuus fuerit, occidatur, et qui non insidiatus fuerit, Deusque tradiderit illum in manus eius,* — id est, dies mortis eius acciderat et viro (hoc) nihil volente usa est voluntas Dei, — *huic facito locum quo effugiat*[2]; etenim ille, moriens sine voluntate occisoris, minime sine voluntate Dei mortuus est, quia ipse est qui in adversum posuit occisorem occiso, ne transiret finem (sibi) fixum a voluntate Dei, neve relinqueret eum mortalem in vita.

[3] *Et si rixaverint duo viri, percusserintque mulierem praegnantem nec fuerit occidio,* — id est si foetus nondum perfectus

2 *Ex.*, XX, 13 ss.
3 *Matth.*, XXII, 40.
4 *Ex.*, XX, 23-24.
1 *Ex.*, XXI, 7 ss.
2 *Ex.*, XXI, 12 s.

fuerit in formis suis, compactusque in membris, — *multa plectetur*. Si autem perfectus fuerit, *animam pro anima dabit* [3].

[SECTIO XXIII]

[1] *Ne sacrifices super fermento sanguinem victimae* [1], vel ne inveniatur eis fermentum in occisione agni; vel ne * confundant sacrificia offerantque sanguinem ultimi cum (sanguine) prioris immolati positique super altare. *Nec remaneat adeps solemnitatis usque mane*, eo ipso die consumet eum ignis altaris. Cura autem eius de adipe manifestabat curam eius de praestantiore victima.

* p. 151

[2] Illudque : *Ne coques haedum in lacte matris suae* [2], id est, per septem dies sit cum matre sua et die octavo dabis eum mihi.

[3] Illud : *Ecce ego mittam angelum meum coram te; cave eum, quoniam nomen meum est super eum* [3], eo quod vices Dei gerens in nomine divinitatis, quae super eum (erat), ponebatur.

[SECTIO XXIV]

[1] *Aedificavitque Moyses altare... et misit iuvenes de filiis Israel*, id est, filios Aaronis qui pararent tauros ad holocaustum; nondum enim uncti erant ut sacerdotio fungerentur. Et postquam legit coram eis librum foederis, dixeruntque : *Omnia quae dixit Dominus faciemus, respersit de sanguine in populum et ait : Hic est sanguis foederis quod pepigistis* [1], (scilicet) : Omnia quae dixit Dominus audiemus et faciemus. In hoc autem sanguine typus evangelii, quod per occisionem Christi datum est omnibus gentibus, figurabatur.

[2] *Ascenditque domus Moysis et septuaginta de senioribus et viderunt Deum, et sub pedibus eius quasi opus lateris sapphiri et quasi chroma caeli cum serenum est* [2]. Latere autem commemoravit servitutem eorum in Aegypto; et sapphiro mare quod ipsis divisum est recordari fecit; et chromata caeli cum serenum est dixit ne chromata libidinosa meretricium haberent. Et in seniores non intulit (Deus) manum suam, quia protexit eos: ad visionem enim ascendere fecerat eos, non ad prophetiam quae tempore expleto danda erat eis.

[3] *Ex.*, XXI, 22 s.
[1] *Ex.*, XXIII, 18. [2] *Ex.*, XXIII, 19. [3] *Ex.*, XXIII, 20 s.
[1] *Ex.*, XXIV, 4-7. [2] *Ex.*, XXIV, 9 s.

[3] Dedit autem eis tabulas scriptas digito Dei, ut saltem propter scripturam Dei pretiosa essent oculis eorum mandata Dei.

* *Ascenditque Moyses et Iosue in montem... vocavitque Dominus* * p. 152 *Moysen die septimo de medio nubis et viderunt gloriam Domini* [3], omnes qui de domo Israel.

[SECTIONES XXV-XXXI]

[1] Ipsis autem diebus illis, iussit (Dominus Moysen) erigere tabernaculum et undenam et quomodo faceret illud et quaenam vasa facerent tabernaculi; et de oleo sacro et de aromatibus ac de sacrificio sacerdotum. Dictumque : *Quamcumque ostendam tibi similitudinem tabernaculi, sic facietis* [1]; prius vocavit illud similitudinem et tabernaculum temporale, ad significandum illud transiturum esse daturumque locum Ecclesiae quae, sicut prototypus perfectus, permanebit in aeternum; et ut pretiosius fieret oculis eorum utpote quod esset similitudo tabernaculi caelestis.

[2] Dictumque : *Conveniam ego et loquar tecum supra propitiatorium* [2]; vox Dei (scilicet) veniebat desuper inter cherubim ad sacerdotem illuc ingredientem semel in anno.

[SECTIO XXXII]

[1] *Videns autem populus moram fecisse Moysen descendendi de monte* [1], coegerunt Aaronem facere sibi deos qui praecederent eos, dicentes : *Moysi, qui nos ascendere fecit de Aegypto, nescimus quid acciderit*. Et ecce, nonne coram vobis ascendit in montem? Nonne vobis praesentibus ingressus est in nubem? In montem ascendite, et non invenientes eum aut Iosue facite quodcumque placuerit oculis vestris. Verumtamen, si manna est vobis, et coturnices vobis, et (lucis) columna et nubes vobis, quomodo ipse non est? Quia quodcumque est vobis per ipsum est vobis.

[2] Ubi autem rixatus est cum eis Aaron viditque seipsum necnon Hur, vellent ut lapidarent; — Hur enim ad quem Moyses ascendens in montem iusserat seniores adducere iudicia sua; ut

[3] Cfr *Ex.*, XXIV, 13-17.
[1] Cfr *Ex.*, XXV, 1-9. [2] *Ex.*, XXV, 22.
[1] *Ex.*, XXXII, 1.

(autem) descendit Moyses, nulla fit mentio officii eius, * et hanc * p. 153 ob causam dicitur ipsum occisum esse in tumultu contra Aaronem concitato ob conflationem vituli eo quod increpaverat eos (dicens) : Ne mutetis Deum; — ne igitur moriatur ipse etiam Aaron, neve damnarentur in vindictam occisionis eius, neve facerent sibi vitulos plurimos, non unum; neve ad Aegyptum redirent etiamsi non intrantes eam, artificio misit (Aaron nuntiari) ut afferrent inaures uxorum suarum, num forte fieret ut hae ipsae viros suos impedirent fundere vitulos ad servandas intactas inaures[2], vel ob amorem Dei sui.

[3] Scriptum est autem : *Detulit omnis populus inaures aureas quas habebant auribus suis et attulerunt ad Aaron*[3]. Quanto enim cum amore datas inaures Aegyptiarum ipsi acceperunt eas, tantus fuit ipsis amor vituli, quando ad eum conflandum inaures suas dederunt.

[4] *Acceperunt autem artifices aurum et figuram eius finxerunt; feceruntque vitulum conflatilem dixeruntque : Hic est Deus tuus, qui te ascendere fecit de terra Aegypti*[4]. Fraudaverunt Deum omnibus mirabilibus quae in mari terraque fecerat eis; ut vitulo quem diligebant attribuerent id quod non fecit.

Eo autem quod dictum est : *Timuit Aaron aedificavitque altare coram eo*[5]; videtur, ab eis coacto Aaron fungi sacerdotio coram vitulo, Hur occisum esse.

[5] Ut distineret autem eos Aaron donec descenderet Moyses, *dixit eis : Cras solemnitas est Domini. Surgentes autem mane obtulerunt (vitulo) sacrificia et manducaverunt* manna *biberuntque* de aqua quam Moyses fluere fecerat, et sub nebula, qua super eos umbraculum factum est, *mane surrexerunt ludere*[6] et insanire coram vitulo.

[6] *Dixitque Dominus :* id est, dixitque Deus veritatis Deo populi : *Corruptus est populus tuus feceruntque vitulum et dixerunt : Hic est Deus tuus qui te ascendere fecit de Aegypto*[7]. Hoc autem revelando (Moysi) ad orationem parabat eum; et hoc illi dictum : *Dimitte me, ut deleam eum*[8], perinde ac si diceret ei : Tene me ne * p. 154 deleam eum. * Si enim voluisset populo malum inferre, non refi-

[2] Litt. : *ob parsimoniam inaurium*. [3] Cfr *Ex.*, XXXII, 3. [4] *Ex.*, XXXII, 4. [5] *Ex.*, XXXII, 5. [6] *Ex.*, XXXII, 6. [7] *Ex.*, XXXII, 7 s. [8] *Ex.*, XXXII, 10.

cienti ruinas populi revelasset. Ex hoc igitur quod revelavit ei, certum est etiam, quod ipse populo malum inferre non intendit. Seipsum enim prius paravit ad veniam et tunc Moysen invitavit ad orandum. Ne igitur magna stultitia sine mercede dimitteretur, quod ipsum damnum multum fieret eis, revelavit Moysi se perditurum esse illos, ut Moyse orante et illis veniam accipientibus, maior fieret venia oculis eorum, et (Moyses) supplex cordibus eorum carior fieret.

[7] Cum autem Moyses orando et patres eorum commemorando, placavisset Dominum suum in monte, *reversus descendit cum Iosue duas tabulas [ferens manu sua]... et dixit Iosue [Moysi] : Ululatus pugnae (est) in castris*[9]. Si autem in castris fuisset Iosue hoc non dixisset, quia animadvertisset ipsam conflationem vituli; rursusque, nec si apud Moysen fuisset, hoc dixisset, quia audivisset ipse Deum Moysi dicentem : *Populus tuus corruptus est*. Non erat ergo apud Moysen, nec erat apud populum, quia inter Moysen et populum erat. Septem dies enim apud magistrum suum permansit; et postquam Dominus eius Moysen vocavit, solus sine magistro suo permansit (Iosue).

[8] *Videns autem Moyses vitulum et choros, confregit tabulas quas detulerat de monte, ad pedes montis*[10]. Quid enim prodessent mandata populo, qui ipsum legislatorem mutaverat pro vitulo. Quia autem nesciebat Moyses ... vitulum, *(et dispersit) eum super aquam, quam bibere fecit populum*[11].

[Eos nempe] qui fuerunt causa conflandi vitulum, ipsos intumescere faciebat cinis vituli. Etenim, etiam si universus populus dederat inaures, sunt qui timore dederunt, sicut Aaron qui timens aedificavit ipsum altare. Illos nempe, qui conceperunt mente sua et ceteros [instigaverunt] ut vellent eum conflare, hos intumescere faciebat cinis illius.

* Dictum autem... *ad Aaron : Quid fecisti populo huic, ut addu- * p. 155 ceres super eum peccatum hoc grande?*[12] Minime quidem ait *induxisti... (6 lineae legi non possunt)...*

Et stetit... Moyses ad ianuam castrorum et dixit : Qui de parte Dei est veniat ad me. Et congregati sunt filii Levi et dixit eis :

[9] *Ex.*, XXXII, 15 ss. [10] *Ex.*, XXXII, 19. [11] *Ex.*, XXXII, 20. [12] *Ex.*, XXXII, 12.

Sic dixit Dominus : Accingat se unusquisque gladio suo[13]. Et, ecce, non dixit ei Dominus..., qui aliquid maius dixerat ei, priusquam placaretur. Postquam autem ad persuasionem ductus est (Dominus) ab eo, dictum est : *Placatus est Dominus (ne faceret) malum quod dixerat se facturum esse populo*[14]. Supra (montem) deprecator erat (Moyses) ; et infra ultor. Apud iustitiam misericors, et in castris zelator disciplinae.

(cetera desunt)

13 *Ex.*, XXXII, 26. 14 *Ex.*, XXXII, 14.

INDEX BIBLICUS

Genesis

NOMINA PERSONARUM ET LOCORUM

N.B. — G = Commentarius in Genesim; E = Targum in Exodum; Pr = Prooemium. Ad sectiones (crassioribus typis expressas) et ad earum divisiones remittit hic index.

INDEX RERUM